CONSTITUTIONES

[illegible]



PERVSIAE

[illegible]

CONSTITVTIONES
ET DECRETA
AEDITA IN SYNODO
Diæcesana Auximana.

Anno post Christum natum.

M. D. X C I I I.

Ill.mo & R.mo D. Antonio Maria Gallo S.R.E.
Tit. S. Agnetis in Agone Presb. Card.
& Episc. Auximano.

Sedente Clemente VIII. Pont.
Opt. Max.



PERVSIAE,
Apud Petrumiacobũ Petrutium. M.D.XCIIII.

ANTONIVS MARIA
MISERATIONE
DIVINA

Tit. S. Agnetis in Agone S. R. E. Presbyter Cardinalis Gallus, Dei, & Apost. Sedis gratia Episc. Auximanus.

Clero, & omnibus Ciuitatis, & Diœcesis nostræ fidelibus salutem in eo, qui est omnium vera salus.

CELEBRAVIMVS tandem primam Synodum Diœcesanam (publicis negotijs ità exigentibus) ad hæc vsq; tempora dilatam; in qua Episcopali actione, id præcipuè curauimus; vt Ciuitatis, & Diæcesis nostræ vulneribus

debitum adhiberemus remedium, & prophetico oraculo admoniti, quod perierat, requireremus; quod abiectum erat, reduceremus; quod infirmum, consolidaremus; & quod pingue, custodiremus; hoc etenim nostrum munus, hoc onus est, & huc tendunt Pastorales nostræ vigiliæ, & labores; vt oues nobis commissæ illecebris, & fallacijs communis Inimici deceptæ vinculis peccatorum irretitæ, ac in tenebris, & vmbra Mortis ambulantes salis acrimonia sanentur, & pæna, ac præmio propositis, ad viam salutis reuocentur; Quæ quidem Episcopalis diligentia, licet omni tempore sit opportuna, nunc maximè videtur necessaria, cum vndiq: Hæresum funestæ faces, turbulenti Regnorum motus, sacrorum profanatio, Sacramentorum contemptus Templorum destructio, bella, cædes, Turcarum horribiles conatus, deploranda in Clero, & populo Christiano frigiditas, tetra peccatorum caligo, inueterati morum errores, pessimiq; abusus conspiciantur; ità vt dicere possimus, Quousq; tandem irasceris Domine?

mine? Quousq; cibabis nos pane lacrimarum, & potum dabis in lacrimis? quousq; vineam tuam, quam plantauit dextera tua, diripi, dissipari, & vastari permittes? in maxima igitur rerum omnium difficultate, & perturbatione (quantum in nobis fuit) laborauimus, salutares leges, & christianæ vitæ præcepta vobis proponere, nostrisq; Synodalibus constitutionibus id præstare, vt Christus formetur, reformetur, & confirmetur; formetur ad rectam fidei intelligentiam in simplicioribus, per resipiscentiam reformetur in lapsis, & ad perseuerantiam confirmetur in omnibus, hic est namq; Conciliorum finis. Has itaque constitutiones, & Decreta vestra causa, & pro vestra salute in Synodo confecta, & approbata, vt omnibus nota sint, ab omnibusq; solicitè seruentur typis impressa publicari iussimus: & sicut in his promulgandis, nihil aliud nobis propositum fuit, quam Dei gloria, & vestra salus; ità vos omnes, & singulos fratres, & filios carissimos, per vnigeniti Dei Aduentum, & per Crucem

eius

eius, rogamus, obtestamur, & diuina contestatione monemus, vt nostros labores, & vigilias, vestra causa susceptas irritas esse non patiamini, sed has Constitutiones, quãto potestis amore, & pietate non amplectamini solum, & legatis, verum etiam mente, & animo comprehendatis, & vitam, moresq; vestros ad earumdem constitutionum sensum accõmodetis, ità vt non lectores, & obliuiosi legis auditores, sed etiam factores appareatis. Cauete autem, ne me Episcopum vestrum, quem modò paternè agentem, sollicitè monentem, deprecantem auditis, eumdem non in hac vita solum culpas vestras animaduertentem, sed in extremo præterea iuditio in conspectu Dei easdem accusantem, & exprobrantem audiatis.

Deus, & pater noster, qui dat velle, & perficere, dirigat vias vestras; & corda vestra in sancta obedientia, & confirmet in omni opere, & sermone bono, vt digne ambulantes in uocatione, qua vocati estis, & per omnia ei placentes, audire tandem me-

reatis

reatis in die Aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Venite benedicti, & cum omnibus ſanctis æterna beatitudine perfruamini. Amen. Datum Auximi in noſtris AEdibus Epiſcopalibus. kal. octobris. M. D.XCIII.

A.M.Card. Gallus, &
Epiſc. Auxim.

Liuius Vulpellus Secret.
De mandato.

INDI-

INDICTIO
SYNODI
ANTONIVS MARIA
MISERATIONE
DIVINA

Tit. S. Agnetis in Agone S. R. E. Presbyter Cardinalis Gallus, Dei, & Apost. Sedis gratia Episc. Auximanus.

ANIMARVM nobis ab Alto commissarum regimini (diuina fauête clementia) licet immeriti præsidêtes sub ditorum nostrorũ cõmodis continue in vigilamus, eorumq; animas Domino lucri facere, omni, qua pos-

ſumus, paſtorali cura ſatagimus. Verum inter multiplices Epiſcopalis officij noſtri curas, ea ſemper præcipuè viſa eſt, vt Sacri Concilij Tridentini Decreta, De Synodo Diæceſana quolibet anno celebranda exequeremur, nihil enim ad moderandos mores, corrigendos exceſſus, abuſus tollendos, controuerſias componendas, Eccleſiaſticæq; Hierarchiæ dignitatem tuendam, & reſtituendam, aptius, & efficacius inueniri poteſt, quam frequens Conciliorum conuocatio, prout Sanctiſſimus Pontifex Leo primus,& Niceni, Antiocheni,ac nouiſſimè Tridentini Concilij patres (Duce ſpiritu Sancto) ſtatuerunt.

Quod cum ità ſit, eo magis doluimus poſt noſtram ad hanc Eccleſiam translationem, non potuiſſe eiuſdem Tridentini Concilij iuſſis parere, id tamen fecerunt iuſtiſſima impedimenta. videlicet duorum ſummorum pontificum conſecutæ mortes, miſerabilis Annonæ caritas, perditorum hominum vbiq; craſſantium multitudo, aliæq; Chriſtiani orbis publicæ calamitates, qua-

rum

rum commemoratio esset, potius lachrimabilis, quam necessaria.

Demum cum ira Dei paulum conquiescere cæperit, Sanctissimum enim Pontificem nobis concessit, vbertatem restituit, pacem reddidit, omniaq; pacata, & omnia tuta, diuino erga nos beneficio, & iustissimi principis opera sunt effecta. Nos vocationis nostræ memores, & pro ea, quam populis fidei nostræ commissis debemus, sancta sollicitudine, Synodum Diæcesanam per decem, & septem annos à nostris prædecessoribus intermissam, habere decreuimus eo animo, atq; Consilio, vt (Deo auctore) obeundi muneris tarditatem, actionum grauitate, & diligentia compensemus, sicut terræ, quæ diù incultæ permanserunt, si post modum colantur, vberior est messis.

Vt autem omnibus, & singulis, qui de iure, consuetudine, aut priuilegio in dicto Concilio residendi, interueniendi, sententiasq; dicendi permissa est potestas, nota sit huius nostræ Diæcesanæ Synodi indictio; ne cuiquam, vel rei ignorantia ad ex-

cusationem vti, vel se contemptum, & neglectum dicere liceat, omnibus, & singulis Presbyteris, Parochis, Abbatibus, Præpositis, alijsq; Ecclesiarum Rectoribus, & Beneficiatis quocunq; nomine nuncupatis, Clericis secularibus, & Regularibus, cæterisq; omnibus, qui in dicta Synodo interesse debent, & sua quomodolibet interesse putauerint, etiam exemptis qui intra Diæcesis nostræ fines continentur; hoc præsenti publico edicto, quod in valuis nostræ cathedralis Ecclesiæ aliarunq; Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum Diæcesis nostræ affigi, & promulgari iussimus, Diæcesanæ Synodi futuram celebrationem significamus; indicimus, & denunciamus ad vigesimum tertium diem Septembris, in quo festiuitas Beatæ Virginis, & Prothomartyris Theclæ recolitur, cũ huiusmodi dies ad Sanctum hoc negocium inchoandum fuerit á nobis constitutus, monemusq;, ac iubemus ipsos omnes, & singulos, qui interesse debent, statuta die, & summo mane in nostra Cathedrali Ec-

clesia

clesia Conuenire.

Si quis autem (aduersa valetudine, vel alia legitima causa impeditus) personaliter accedere nequiverit (præter legitimi impedimenti probationem nobis faciendam) idoneum transmittat Procuratorem, qui actionibus Synodalibus suo nomine intersit.

Contrà verò non accedentes, nec se legitime excusantes, pænas illas, & censuras proponimus, & comminamur, quæ Canonicis Sanctionibus continentur, aut quomodolibet de iure, & consuetdine in celebrationibus Conciliorum aduersus inobedientes ferri, & proponi solent. Cum autem hæc conciliaris actio à nobis indicta, præcipuum quoddam charitatis, & pietatis studium à Ciuitatis, & Diæcesis nostræ fidelibus requirat, Canonicos nostræ cathedralis Ecclesiæ, cæterosq; parochos, & Sacerdotes vrbanos, & Diæcesanos hortamur, rogamus, & obsecramus in Domino, vt Dei causam non deserant, curentq; post edicti huiusmodi promulgationem,

vt

vt quinta quaq; feria Missa de spiritu Sancto in eorum Ecclesia celebretur, vel si pro ratione officij id effici non poterit, saltem commemoratio fiat; orationi, & ieiunio, alijsq; pijs operibus frequentius vacent: sic enim eueniet, vt Synodus nostra felicissimos (Deo propitio) sortiatur successus, sicut (Deo irato) contrarium procul dubio timendum esset. Postremò monemus, & hortamur per viscera misericordiæ Iesu Christi Domini nostri, omnes Ciuitatis, & Diæcesis nostræ fideles; vt assiduis precibus, publicis, & priuatis, alijsq; christianæ pietatis officijs, nobis negocium tam salutare tractantibus, spiritus sancti lumen implorent, vt quæcumq; ad Ecclesiasticam dignitatem restituendam, castissimum Deo cultum exhibendum, & ad Cleri, populiq; disciplinam necessaria sunt, & opportuna decernamus, omniaq; consilia, sermones, & actiones nostras in verum finem dirigamus, nempè Christum Iesum, cui seruire regnare est. In quorum omnium fidem, robur, & testimonium, hoc præsens edictum per infra-

scriptum

ſcriptum Synodalem Secretarium confici, & cum manu noſtra ſignatum, ſigillo, quo in talibus vtimur, iuſſimus, & fecimus impreſſione muniri. Auximi die prima Iulij. M. D. XCIII.

A. M. Card. Gallus, & Epiſc. Auxim.

Liuius Vulpellus Secret. Synod.

DECRETVM

scriptum Synodalem Secretarium confici, & manu nostra signatum, sigillo, quo in talibus utimur, iussimus, & fecimus impressione muniri. Auximi die prima Iulij, M. D. XCIII.

A. M. Card. Gallus, & Epus. Auxim.

Linius Vulpellus Secret. Synod.

DECRETVM

DECRETVM
DE MODO
Viuendi in Synodo.

ANTONIVS MARIA
Miseratione diuina Tit. S. Agnetis in Agone, S. R. E. Presbyter Cardinalis Gallus, Dei, & Apostolicę Sedis gratia Episc. Auximanus,

Vniuerso Clero Auximano pro Synodi Diœcesanæ celebratione congregato, gratia, & pax in eo, qui est, qui erat, & qui venturus est.

*C*ONCILIORVM *omnium auctor, & institutor extitit Christus Dominus, eiusq; Discipuli, ac Magistri nostri, eamdem consultandi rationem in publicis, & grauioribus Ecclesiæ negocijs secuti sunt. Et sicut idem Saluator noster*

suum auxilium, ac deniq; se ipsum huiusmodi sacris Conuentibus ritè celebratis pollicitus est, dum dixit, Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum, ità fratres, & filij dilectissimi curandum est in primis, vt huius Diœcesanæ Synodi Christus ipse sit fundamentum, ad hoc vt sanctarum constitutionum possit superædificari ædificium. Cum autem optimè conscij, simus, eam esse humanæ conditionis imbecillitatem, vt non simus sufficientes ex nobis aliquid boni cogitare, sed omnis nostra sufficientia à Deo sit, qui postulantibus dat sapientiam, & non improperat, ideó non viribus nostris (quæ perexiguæ sunt) confisi, sed Dei, cuius indigni Ministri sumus auxilio freti, id supplices à Deo deprecamur, vt nobis in his Synodalibus actionibus assistere dignetur.

Vos autem filios, & fratres gaudium nostrum, & corona nostra, qui in hac Ecclesia ad Synodum conuenistis, hortamur, &

per

per viscera misericordiæ Dei nostri obtestamur, vt memores sententiæ Salomonis, in maleuolam animam non intrabit sapientia, corda vestra Deo præparetis, conscientiam ab operibus mortuis emundare studeatis, & desideria carnis non perficiatis.

Sacerdotes in primis alloquimur, vt (Synodo durante) quotidie Missæ sacrificium celebrare non omittant, Orationi, & Ieiunio vacent, fiatq; refectio pauperum abstinentia ieiunantium.

Quæ omnia pietatis opera, vt hilari animo, & ex corde fiant, optamus vehementer, non autem vt hominibus placeamus, & confundamur, Deus enim non irridetur, nec patitur irrisores, sed è Cœlis irridet, & subsannat eos.

Cæteros verò omnes Ecclesiasticos homines hic præsentes monemus, vt ad rei grauitatem, cuius causa conuenerunt, attenti tota animi cogitatione in id incumbant, & licet omni tempore Clericorum honestas, vi-

taq; integritas Laicis hominibus prælucere debeat; his tamen præcipuè diebus eorum conuersatio immaculata sit, & irreprehensibilis.

Caueant igitur nè ad cauponas diuertant, nec etiam per vicos, & plateas vagentur.

Ad Synodalã sessionem hora præscripta conueniant, non raptim, sed graui incessu.

Mane, priusquam huc conueniant, cibum non capiant, sed ieiuni adsint.

Vbi verò conuenerint superpellicia munda induant, & ad sessionalem locum accedant, non turbulenter, sed quiete, nec è cancellis exeant, nisi (sessione absoluta) aut necessaria causa.

In hoc autem Sacro Templo considentes, vocibus non obstrepant, nec tumultibus rem Synodalem perturbent.

In sententijs dicendis, modesto sermone vnusquisq; vtatur, & ab aliorum vilipendio, & conuicijs abstineat, nè exeant iniuria

vnde iura exire debent.

Et quoniam Dei negotiũ agitur, omnisq́; prorſus ambitio, & contentio à ſancta hac Cõgregatione abeſſe debet, rogamus omnes in Domino, vt recogitãtes ad quod, & quale opus fuerint vocati de prælatione controuerſias fugiant, qui maior eſt fiat ſicut minor, & à communi omnium Magiſtro diſcant humilitatem; nec permittant, ſubdolum operarium Satanam bono ſemini, Zizania ſuperſeminare; eſſet enim nimis deteſtabile, ſi in eo, quod Chriſti legatione fungimur, non Chriſtum ipſum, non quæ Dei ſunt, quæreremus. Deponamus itaq́; cupiditatum noſtrarum perturbationes, oculiſq́; in Cœlum coniectis, non hominum honores ſpectemus, non rebus noſtris, non popularibus ſtudijs, non laudi, non gloriæ noſtræ, ſed Chriſto inſeruiamus.

Ad tollendas tamen omnes difficultates, & diſcordiarum anſam, penitus amputandam, ſtatuendum duximus Sacri Concilij

Tri-

Tridentini vestigijs inhærentes, vt si contigerit aliquem suo loco non sedere, vel incedere, aut sententiam proferre, nullum ob id alicui præiudicium generetur, vel nouum ius acquiratur, sed omnia in eo ipso statu permaneant, in quo erant, antequam hæc Diœcesana Synodus celebraretur.

Omnibus autem, & singulis, qui huic Synodo de iure interesse debent, pœna excommunicationis proposita, prohibemus, ne ab Vrbe Auximana discedere audeant, absq; nostra licentia, nisi Synodali actione absoluta, ac dimissa.

Vetus est, ac laudabilis consuetudo; in his Synodalibus Congregationibus, pro publicis rebus, & calamitatibus, orationes fieri. Monemus itaq; Sacerdotes omnes, & Clericos hic præsentes, vt (Synodo durante) publicis, ac priuatis orationibus Deum, & Patrem misericordiarum præcipuè deprecentur pro infrascriptis.

Vt misereatur populi sui, & famem cæteraq;

teraq; sua iracundiæ flagella depellat.

Vt fidelium animos, præcipuè vero Ciuitatis, & Diocæsis nostræ ad vitia fugienda, & virtutes sectandas, Spiritus Sancti ardore inflammet.

Vt è principum animis euellantur, si quæ sunt discordiæ semina, & ad resistendum perpetuis Christiani nominis hostibus Turcis, qui contra nos terra, mariq; innumerabiles copias parauerunt, sancto fœdere coniungantur.

Pro Sanctissimo D. N. Clemente Octauo.

Pro fœlici prosperoq; successu rerum Regni Franciæ, & Christianissimi Regis legitima electione.

Pro nostro ministerio Episcopali.

Pro omnibus ministris nostris, quos in huius Vrbis, & Diœcesis nobis commissæ cultura adhibemus.

Et quoniam in huius Synodi actione nobis opus est Ecclesiastici viri adiumento, qui

Promotoris munere fungatur, idcircò constituimus, & deputamus Promotorem in hac Synodo Diœcesana Reu. D. Quintilianum Onofrium I.V.D. Canonicum nostræ Cathedralis Ecclesiæ.

Si qui verò querelas, & accusationes contra aliquos habuerint, vel alicuius absentiam excusare voluerint, adeant Reu. D. Vicarium Generalem.

D. Rutilium Mattuccium, &) I.V.D.D.
D. Antoniumsimonē Taleonē).

& nostræ Cathedralis Ecclesiæ Canonicos, quos omnes coniunctim, & diuisim eligimus & deputamus Iudices querelarum, & audiendis absentium excusationibus præponimus.

DE FIDE ORTHODOXA, illaq; profitenda, ac tuenda.

Cap. 1.

QVoniam sanctißimæ Religionis, Christianæq́; doctrinæ fundamentum est fides, sine qua, impoßibile est, placere Deo, ideò maximè à Pastoribus est elaborandum, vt ea integra, atq; incorrupta seruetur, & pæstilentißimus ille hæresis morbus nunquam in Gregem sibi commissum irrepat, vel si forte irrepserit, perenni sollicitudine quam celerrimè depellatur; & quamuis in vltima Synodo Auximana sub admodum Reuerendo D. Cornelio Firmano Prædecessore nostro (cuius memoria in benedictione sit) nonnulla, circa hoc piè, & prudenter fuerint, constituta, cum tamen Hæretici, tanquam Magistri mendaces, & Diu. Paul. ad Hebr. c. ii.

B *serui*

serui Satanæ nihil nõ agant, & moliantur, vt ſeducant multos, & tanquam Lupi rapaces diſſipent Gregem Domini, eiusq; inconſutilem tunicam diſſuant, communis omnium contra eos debet eſſe vigilantia, quoniam contra communes hoſtes, pro communi ſalute suscipitur, nec vbi de fide tuenda agitur, vel de hereticæ prauitatis fermento expurgando tractatur, aliqua diligentia, vel repetitio poteſt eſſe vitioſa, ſtatuimus igitur vt quæ à Pio Quarto duabus conſtitutionibus de fidei profeſſione emitenda decreta ſunt, inuiolabiliter ſeruentur.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12 & ſeſſ. 25 c. 2. de refor.

Cap. 2

Nullus, quamuis regularis, etiam in Eccleſia ſui ordinis ad concionandum admittatur, niſi prius coram nobis, vel Vicario noſtro fidei profeſſionem præſtiterit, vbi verò ſemel dictam profeſſionem fecerit, non erit amplius ob eamdem cauſam iteranda, ſed ſatis erit profeſſionis ſemel emiſſæ authenticum teſtimonium exhibere.

Pro

Cap. 3.

Prouisi de Beneficijs curam animarum habentibus, de Canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus, Monasterijs, Conuentibus, Domibus, alijsq; locis in dicta constitutione Pij Quarti expræssis, nisi tempore, & loco à Conc. Tridentino assignato fidei professionem præstiterint, obtentorum beneficiorum fructus suos non faciant, nec Episcopus dictos fructus indebitè perceptos eidem beneficiato remittat, aut ab eo exigi patiatur, sed potius exactos restituere compellat.

Cap. 4.

Ad audiendas Confessiones nullus admittatur, nisi præstita prius fidei professione.

Cap. 5.

Hoc ipsum de Medicis, & Chirurgis disponimus, qui, nisi trium mensium spatio, coram nobis, & Vicario nostro generali, & in Diœcesi coram Vicarijs foraneis fidem

Catholicam profiteantur, medendi arte interdicantur, quoad dictam professionem fecerint.

Imposterum verò nullus medicinam, vel chirurgiam exercere aggrediatur, nisi præstita prius professione fidei.

Cap. 6.

Pius V. in const. impressa in bullario pag. 923. *Medici etiam in principio offitij iurent in manibus Vicarij nostri generalis, in Diœcesi verò coram Vicarijs foraneis, de obseruãda constitutione pijssimæ memoriæ Pij Quinti, in qua (proposita infamiæ pena, alijsq; pœnis) iussit, Medicos ab ægrotantis curatione post triduum abstinere, nisi eo triduo de peccatis suis confessus sit.*

Cap. 7.

Qui publicè, vel priuatim legendi, interpretandi, docendiq; munere funguntur, quicunq; sint seculares, vel regulares, Clerici vel laici, etiam si domi alienæ viuant, & prima tantum gramaticæ rudimenta tradant, vel id gratis præstent, ad fidem catho-

licam

licam profitendam, vt supra omnino teneãtur, sub pœna suspensionis à dicto docendi munere, quousq; paruerint.

Cap. 8.

Aduocati præterea, Procuratores, & Notarij nomine sanctißimæ Inquisitionis causas agentes, nõ prius audiantur, quam fidei profeßionem præstiterint.

Cap. 9.

Qui impræssoriam, vel librariam artem per se, vel per alios exercent, teneãtur etiam fidei profeßionem emittere.

Cap. 10.

Parochi nullo modo patiantar intra suæ parochiæ fines aliquod ex descriptis muneribus, à quocunq; deinceps suscipi, aut etiam susceptum exerceri, nisi is publicum exhibuerit testimonium, se fidei profeßionem præstitisse, siq; non paruerit, ad nos deferat, qui in eum grauiter animaduertemus.

Nomina vero omnium prædictorum, cum dictam profeßionem fecerint, in libro

ad

ad id destinato describantur, ordinateq; referantur, qui liber professionum in Archiuio Episcopali asseruetur.

Formula autem professionis fidei in dicta constitutione Pij Quarti apposita est infrascripta, quam hic, pro maiori omnium commoditate inserere placuit.

Formula professionis Fidei.

E*Go N. firma fide Credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continẽtur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur videlicet.*

C*REDO in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesũ Christum filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum nõ factum consubstantialem Patri, per quem*

omnia

omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni nõ erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem; qui ex Patre, Filioq; procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur qui locutus est per Prophatas, Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remißionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, Et vitã venturi seculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq; eiusdem Ecclesiæ obseruationes,, & constitutiones firmißimè admitto,

&

& amplector. Item sacram Scripturam, iuxta sensum, quem tenet, & tenuit sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpratatione Sacrarum scripturarum admitto; nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem cõsensum patrum accipiam, & interpratabor.

Profiteor quoq; septem esse verè, & propria sacramenta noua legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atq; ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismũ, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiã conferre, & ex his Baptismũ, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari nõ posse.

Receptos quoq; & approbatos Ecclesia ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admittto. Omnia, & singula, qua de peccato origināli, & de iustificatione in Sacrosancta

sancta

sancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis, atq; in sanctissimo Eucharistiæ Sacr. esse vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vna cũ anima, & diuinitate Domini Nostri Iesu Christi, fieriq; conuersionem totius substãtiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini, in sanguinem, quam cõuersionem Catholicam Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atq; integrum Christum, verumq; sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasq; ibi detentas, fidelium suffragijs iuuari. Similiter, & Sanctos, vna cum Christo regnantes venerandos, atq; inuocandos esse, eosq; Orationes Deo pro nobis offerre, atque eorũ reliquias esse venerandas.

Firmiter assero Immagines Christi, ac

Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atq; eisdem debitum honorem, ac veneratio nem impartiendam.

Indulgētiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; vsum christiano Populo maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco.

Romanoq; Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis, successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atq; profiteor; simulq; contraria omnia, atq; hæreses quascunq; ab Ecclesia damnatas, & reiectas, atq; anathematizatas, ego

pari

pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem (extra quam nemo saluus esse potest) quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo eamdem integram, & immaculatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem .N. spondeo, voueo, ac iuro, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

De Hæreticis denuntiandis.

VT, omni studio, ac vigilantia Hæretici, eiusue criminis suspecti, hæreticalia verba proferentes, eorum libros, aut scripta detinentes inquirantur,

denuntientur, & seuerè puniantur, mandamus, vt edicto, quotannis publicè proposito, omnes, & singuli Diœcesis nostræ homines moneantur, in virtute sanctæ obedientiæ propositaq́; excommunicationis pœna, iuxta Apostolicas constitutiones, vt si quispiam eorum sciat cuiusuis sectæ hæreticos homines, suspectos, & infames, aut quouismodò à Fide Catholica aberrantes, verba hæreticalia proferentes, & libros vetitos, & præcipuè Hebræorum (prout nouissimè Sanctissimus D. N. Clemens VIII. decreuit) penes se retinentes post decem dierum spatium ab huiusmodi edicti promulgatione, vel si imposterum sciuerint, infra eumdem terminum à die scientiæ eorum nomina, cognomina, & patrias nobis denuncient, nè in tremendo Christi iudicio rei sint de silentio, quàmuis non contaminentur assensu.

Quod Edictum à Parochis, saltem bis in anno, Videlicet Initio Quatragesimæ, & Aduentus inter Missarum

solemnia

solemnia, & cum populus frequentior adest, vulgari sermone publicari mandamus.

De abutentibus Sacra Scriptura.

D*Etestabilis, ac nefaria eorum temeritas; qui Sacræ Scripturæ verbis, & sententijs ad iocum contumeliam, superstitionem, vel ad alios profanos; & satyricos vsus abutũtur, deprauantq́, omnino est compescenda, & ideò Parochi in illos quos huius criminis reos esse cognouerint, grauiter animaduertant, curentq́, populum sibi commissum tam per seipsos, quam per concionatores frequenter de hoc admoneri, & nisi in hoc peccantes à sua temeritate resipiscant, nobis denuntient.*

DE

De Cingaris. Cap. 1.

FAllax, & vagum Cingarorum genus cupimus vehementer, vt à Diœcesis nostræ finibus arceatur: verum quibus in locis adhuc dicti Cingari versantur, hæc adhibeatur cura, vt Parochi, in cuius Parochia eos morari, aut vagari contigerit, diligenter de ipsorum vita, & moribus inquirant, & an vt Christianos decet, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præceptis, & institutis pareant, vel potius aliquid agant, quod schismaticorum vsum præseferat, an quatragesimali tempore, alijsq; ieiunij diebus à cibis vetitis abstineant, vel nouis ritibus vtantur, siq; aliquid agi, aut dici compertum erit, quod hæresim sapiat, occultam, vel manifestam Parochi nobis denuutient, & vineæ Dominicæ culturæ præpositi huiusmodi spinas succrescere nõ patiantur.

Interdicant etiam Cingaris mulieribus,

quæ vt plurimum chiromantiæ nugis deditæ esse solent, vt futura, ex quibusdam manuum lineamentis non diuinent, neq; prædicant.

De Doctrina Christiana publicè per Parochos, & ludi magistros declaranda.

Cap. 1.

N*Imis graue est vt homines, qui in Sacro Baptismatis fonte fidem Christianam professi sunt eiusdem fidei prima rudimenta ignorent, eueniatq; vt in formidabili Dei iuditio, tanquam ignorantes ignorentur. Quapropter Parochi omnes etiam si regulares sint, in eam curam diligenter incumbant, vt singulis diebus Dominicis, alijsq; festis ex Ecclesiæ præcepto sanctificandis prima fidei fundamenta, obedien*

Conc. Trid. sess. 5. c. 2. de Refor. & sess. 24. c. 4. de Rofor.

dien

dientiamq́; erga Deum, & Parentes pueris suæ Parochiæ tradant, & explicent omni charitate, & diligentia, idq́; vt comodius fieri possit, certa hora post prandium pueros sono campanulæ conuocent ad Ecclesiam, dictumq́; munus obeant, etiam si pauci, vel vnus tantum accesserit.

Cap. 2.

Vt autem plus adiumenti in hoc pio munere exequendo Parochi habeant, mandamus, vt Clerici omnes, qui eiusdem Parochialis Ecclesiæ seruitio fuerint adscripti illos adiuuent pœna arbitrio nostro imponenda illis, qui in tam necessario offitio, operam suam Parochis nauare recusauerint, aut neglexerint.

Cap. 3.

Insuper vt in re tanti momenti nullus diligentiæ relinquatur locus, utq́; salutaris hæc Doctrinæ Christianæ exercitatio, in dies maius incrementum suscipiat, curent Parochi, vt Sodalitates Doctrinæ Christianæ cum

næ cum legibus à nobis præſcribendis in ſuis Parochijs inſtituantur, quæ in eo munere ipſos adiuuent iuxta constitutionem Fœl. Recordat. Pij Papæ Quinti, & Gregorij XIII. Sodalitat. Doct. Christ. in singulis Ciuitatibus erigi iussit Pius V. in sua Const. de qua in Bullariofol. 1163 & Indulg. cõcessit. quas ampliauit Greg xiij in alia const. de qua ineodem Bull. fol. 1204.

Cap. 4.

Vbi vero ſodalitas huiuſmodi inſtitui nõ poterit, eligantur ſaltem duo, vel tres hõmines graues, & pij, qui id oneris ſuſcipiant vt pueros ad Parochum ducant, à quo fidei rudimentis imbuantur, nec huiuſmodi officium vile videatur, cum Dominus Noſter Ieſus Chriſtus, vt cœleſtibus nos præceptis inſtrueret; in Terram è Cœlis deſcenderit, ipſeq; in Sacro Euangelio ſcriptum reliquit, quod qui fecerit, & docuerit magnus vocabitur in Regno Cœlorum.

Cap. 5.

Curent etiam Parochi, vt in loco diſtincto à pueris puellæ inſtruantur, fœminaſq; (ſi fieri poterit) Fœminæ, Viros autem Viri doceant, cum valde periculoſa ſit ſe-

xuum commixtio.

Cap. 6.

Vtique facilius pernitiosæ huius ignorationis incōmodo succurratur, mādamus omnibus Animarū Curatoribus, cæterisque confessarijs secularibus, siue regularibus, in virtute sanctæ obedientiæ; vt antequam confessiones audiant orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum fidei, & præcepta Decalogi curent à Pænitentibus recitari, quarum rerum si quos ignaros offenderint, hanc eorum spiritualem socordiam acriter reprahendant, cum autem his absolutionis munus concedunt, præter alias pænitentias, & actiones satisfactorias, id etiam imponant, vt quatuor hæc potissima Doctrinæ Christianæ capita imposterum accuratè adiscant, certo illis pro suo arbitratu, & personæ capacitate præfinito tempore.

Cap. 7.

Si quis verò ad Sacramentum Pœnitentiæ semel ita admissus in rudi hac, & crassa igno

ignorantia persistere compertum erit, de ijs ad nos referant, antequam absolutionis munus iterum concedant absq; violatione sigilli confessionis, qui illorum saluti diligentius, & efficacius cõsulemus, prout in Domino videbimus expedire.

Cap. 8.

Porrò confessarij grauiter obiurgent, itemq; concionatores diuinam vltionem denũcient patribus familiàs, & Dominis, qui de salute filiorum, & seruorum, parum solliciti debitam non adhibent diligentiam, vt sui liberi, ac serui Christianam Doctrinam addiscant, & ad illam audiendam cõtinuò accedant.

Cap. 9.

Et quamuis (teste Diuo Augustino) nemo sit irridendus, si cum barbarismis Deum inuocat, vel Sacræ Lectionis verba, quæ profert, nõ intelligat, cum tamen homines rudes, ac ignari, magna cum difficultate memoriæ commẽdent prima fidei rudimen-

ta latinè conscripta, eaq; concisè; & perperam recitent, mandamus parochis, vt cum in homines huiusmodi duræ capacitatis inciderint, doceant ipsos Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Præcepta Decalogi, aliaq; Christianæ Fidei rudimenta vulgari sermone iuxta versionem de mandato nostro factam, sic enim intelligentes, quæ ipsis dicuntur, faciliùs etiam memoriæ commendabunt, & maiori cum deuotione, & animi affectu recitabunt.

Cap. 10.

Quanti referat, vt instruendæ, & informandæ iuuentutis cura bonis præceptoribus committatur, nemo est qui nesciat, plus enim valet bona educatio, quam bona generatio. Communitates igitur, & Magistratus Ciuitatis, & Diœcesis Nostræ vehementer in Domino hortamur, vt (nulla sumptus habita ratione) publicos ludimagistros, non minus fidei, & vitæ, quam Do-

ctrinæ, & scientiæ laude commendatos cõducant. Qui verò ad id muneris fuerint vocati, vel priuatim docendi munus assumere voluerint, vltra professionem fidei, de qua supra, approbentur, etiam à Nobis, vel Vicario Nostro generali.

Cap. 11.

Vtq; Magistrorum vita, & mores pueris semper tanquam speculum eluceant, ea erit adhibenda cautio, vt cum ad docendum approbantur, approbatio ipsa sit annalis, vel biẽnalis ad summum.

Quo tempore peracto, cum pro Cõfirmatione, vel prorogatione approbationis accesserint tunc maximè de illorũ moribus, vita, docendiq; ratione, diligenter inquiratur; siq; illos ea nõ præstare, quæ debent, vel in aliquo offendere compertum erit, docendi facultas denegetur.

Illudq; in primis curent ludi literarij magistri, vt initium sapientiæ sit timor Domini, & nõ tam bonis literis, quam bonis moribus

bus, & Christianæ vitæ præceptis, ac fidei rudimentis (quampiam exercitationem nunquam omittant) pueros sibi commissos imbuere studeant, & in hoc eo maiorem adhibeant diligentiam quo adolescentium ætas procliuior est ad mundi voluptates sequendas.

Libros in Indice vetitos nō solum pueris nō interpratabuntur, aut ab illis legi permittent, sed nec alios, quibus obscœna, vel turpia contineātur, curentq́; habere libros ethnicorum expurgatos à Reuerendis Patribus Societatis Iesu, & si aliquando profana magistri exponēt, omnia ad rectam disciplinam, piamq́; morum institutionem præclaris interpratationibus traducere laborabūt.

Quotidianas exercitationes, & studia inchoent, & concludant pia aliqua Oratione, & prece.

De Prædicatione verbi Dei.

Cap. 1.

APostolicum munus est verbi Dei prædicatio, istudq; Ministerium Sanctißimus Apostolus Paulus cæteris omnibus præfert, dum Corinthijs scribens dicit. Nō misit me Deus baptizare, sed euangelizare, cui cæteri Apostoli adstipulantur, dicentes, Non est æquum nos relinquere verbum, & ministrare mensis. Nos igitur (prout ex iniuncto nobis desuper Episcopali officio tenemur) commissum gregem verbo Dei curabimus alere. Cum autem id aßidue præstare nō valeamus, ad huiusmodi munus coadiutores adhibebimus, idoneos viros, ne ob negligentiam, in pascendo, nobis obijci poßit dura illa Hieremiæ Prophetæ lamentatio Paruuli petierunt panem, &

Conc. Trid. sess. 5. cap. 2 & sess. 24. cap. 4.

D. Thom. in sum. in 3 par. q. 57. art. pr.

C. Episc. il ter. 88. distit. c. inter cetera de off. ordinarii Conc. Later. sub. Innoc. iij. c. 10

& nõ erat, qui frangeret eis.

Statuimus igitur vt in Nostra Cathedrali Ecclesia præter tempus Quatragesimæ, & Aduentus, in omnibus etiam diebus festis Sacra Concio habeatur de mane, & post vesperas non desit Lectio Sacræ Theologiæ.

Cap. 2.

Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. & sess. 24. c. 4. de refor.

Parochi omnes, qui in partem sollicitudinis Episcopalis sunt vocati in Dominicis, & Solemnibus diebus, Quatragesimæ verò, & Aduentus tempore, tribus saltem per hebdomadam diebus iuxta Conc. Trid. Decretum populum suum infra Missarum solemnia, pio sermone instruant, & erudiant ad salutem, vitiaq; in primis, & peccata illa, ad quæ populum procliuiorem esse conspiciunt; grauius obiurgent, reprahendant, atq; exagitent; deprauatosq; viuendi mores radicitus (Deo iuuante) euellant, nõ calumnijs, non maledictis, non vexationibus non cuiusuis generis contumelijs increpandi

officium deferant, aut peccata dißimulent, vt hominibus placeant, Nam (vt inquit Apostolus) seruus Dei nō essem, si hominibus placerem. Nō sint canes muti, considerentq; quod si ipsis tacentibus, & dißimulantibus) Grex sibi commißus perierit, sanguinem eius de manu illorum requiret iustus Iudex.

Si verò Parochi legitimè fuerint impediti, vel ad id se minimè idoneos nouerint, coadiutorem in eo munere adhibeant, vel saltem Homiliam Euangelicæ lectionis, vel vitam sancti, de quo dies festus agitur, aut ex probato libro aliquid recitent, quo audietium animi ad Dei amorem, proximi dilectionem, virtutes sectandas, vitiaq; fugienda, incitentur.

Cap. 3.

Nullus (Parochis exceptis) prædicandi munus aggrediatur, nisi præcedente approbatione, & licentia à Nobis, vel Nostro Vicario Generali inscriptis obtinenda, quæ

Conc. Trid. sess. 5. c. 2. vers. Regulares vero.

gratis concedetur, iuxta formam Concilij Tridentini.

Conc. Trid. sess. 5. c. 2.& sess. 24. c. 4. Conc. Lateran. vltimum sess 11 de modo predicandi. c. non liceat. q. 2. distinct. c. Excommunicamus §. Quia verò de hær.

Regulares verò, si in Ecclesijs suorum ordinum id muneris obire voluerint, teneantur prius benedictionem ab ordinario petere, nec (ordinario cōtradicente) pradicare possint. Si autem extra propriam Ecclesiam, ante quam eis licentia concedatur, vltra professionem fidei emittendam, examinentur etiam diligenter, nec temere alicui pradicandi Euangelij facultas detur.

Cap. 4.

Populi, & Communitates renuentes subministrare alimenta, vt antea consueuerunt, & cōcionatoribus solitam elemosinam persoluere, etiam per Ecclesiasticas censuras in subsidium ad id compellātur.

Cap. 5.

De Prædicatorum officio examine, & approbatione adest celebris constit.

Quamuis ex verbi Dei disseminatione vberrimi, vt plurimum fructus colligantur, & nūquam reuertatur vacuum, nihilominus est tam arduum concionādi munus, & tam

tam multas animi, & corporis dotes requirit, vt ex millibus, vix vnus ad id idoneus reperiatur, & præsertim hodiernis temporibus, in quibus adeò excreuit hominum malitia, vt plerique sacras literas pro suis affectibus, ad suaq; praua desideria confouenda trahant, atq; ad excusandas excusationes in peccatis, impudentissimè torqueant. Culpatur Auarus, Prodigus hinc suæ prodagalitatis colligit argumenta, reprahenditur prodigus, auarus inde suæ tenacitatis excusationem arripit.

Leonis X. quę incipit, super ne impressa in Bullario pag. 205.

Cum igitur in Prædicatione Euangelica difficultas, & vtilitas pari passu ambulent, nec propterea sit diffidendum, aut huiusmodi onus deserendum, monemus omnes, qui ad hoc Sacrum Ministerium sunt vocati, vt frequenter legant Rethoricam Ecclesiasticam Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini mei Augustini Valerij Cardinalis Veronensis, qui summa pietate, & grauitate Euangelicæ prædicationis formam tra-

E ij dідit

didit, multaq; à profanis auctoribus mutuando (tanquam nouus Moyses, qui AEgyptiorum opes ad Habreos transtulit) Christianum Oratorem perfectissimè expressit.

Cap. 6.

Episcopos, aliosq; Prælatos, aut ciuiles Magistratus, cum Auditorum offensione asperius nō obiurgent, sed pie, omniq; lenitate, modestia, ac reuerentia illos admoneant, vitanda est nanq; manifesta reprahensio vtriusq; potestatis, tam Ecclesiasticæ, quam secularis, & potius locus est fraternæ correctioni, quam publicæ reprahensioni, nam per huiusmodi incautas reprahensiones Plebs ad seditionem, & rebellionem incitatur, potiusq; docendus est populus, vt præpositis suis (etiam discolis) obediat, & pro potestatibus frequenter Deum depracetur, cum omnis potestas à Deo sit; caueantq;, ne quemquam nominatim reprahendant, aut tacitè illum designantes insectentur, vt homines nō vitia odisse videantur.

Leo X. in d. const. de prædicat. offic.

Ineptas

Cap. 7.

Ineptas atq; aniles fabulas, profana vaniloquia, ac inanem loquacitatem, fucumq; orationis, quibus nõnulli aures prurientes, falsam scientiæ opinionem sibi venantur, deuitabunt; nec ostentandæ scientiæ, & eloquentiæ causa, difficiles quæstiones, obscuraq; dogmata proponẽt, aut historias, & miracula ex apocryfis scriptoribus narrabunt; sed fideles erunt cœlestis panis dispensatores. Conc. Trid. sess. 25. c. pr.

Cap. 8.

Hæreticorum opiniones, & argumẽta nõ referant, præsertim apud imperitam multitudinem, nec aliquid ambiguum anceps ue loquatur, aut obscurè, & concisè expanãt, ne auditoribus variè intelligendi occasionem prabeãt, aut eorum animi incerti, & dubij relinquãtur.

Cap. 9.

Temperent orationem pro Auditorum captu, & in reprahendendis vitijs, in quibus

bus vident Populum magis implicatum, diligentes ſint; ac vehemẽtes; obiurgationesq́; huiuſmodi ſepè repetant.

Cap. 10.

Caueant Cõcionatores ne quouis modo, ſe ipſos populo commendent, cum à grauitate Euãgelicæ prædicationis id ſit pœnitus alienum, & huiuſmodi commendationes turpe lucrum ſapiant; qualis autem eſſe debeat, qui EuangeliZat Regnum Dei, præceptis Euangelicis deſignatur, vt ſit ſine virga, ſine pera, ſine pane, ſine calciamentis, ſine pecunia; radix quippe omnium malorum, eſt auaritia, quam appetẽtes errauerunt, ab vtero locuti ſunt falſa.

Alios verò paupertatis nomine nõ commendent, niſi de mandato noſtro, aut noſtrorum officialium.

De superſtitionibus, diuinationibus, & ſortilegiis.

Maximè deplorandum eſt Christianos homines, præſertim mulierculas, valde ſuperſtitutionibus eſſe addictas, & hæc zizania in earum mentibus tam altas egiſſe radices, vt, niſi Deus optimus maximus, ſuam dexteram apponat, illa eradicare ſit defficillimum.

Parochi igitur eo maiorem in hoc adhibeant diligentiam, quo maius eſt periculum, maiorq; numerus animarum diabolica fraude deceptarum, aſsidueq; inuigilent, ſi quod ſuperſtitioſorum hominum genus, intrà ſuæ Parochiæ fines reperiatur, idq; ſemper, ſaltem in Synodo Diœceſana ad nos in ſcriptis deferant, vt ei malo occurrere poſsimus.

Magos verò, & maleficos huiuſmodi,

qui

qui se caracteribus, & verbis occultis, mentes hominum perturbare, morbos inducere, & expellere, naturalesq; actiones impedire posse sibi persuadent, alijsq; pollicentur: si moniti nō resipiscant, à fidelium consortio excludant, & exterminent.

Cap. 2.

Diuinationes verò ex aqua, terra, igne, ex vnguium, & lineamentorum corporis inspectione ex somnijs, sortibus, rebusq; alijs, quibus per Dæmonum indicationem futura præscire, furta, & thesauros absconditos inuenire se posse temerè affirmant, omninò prohibemus.

Cap. 3.

Orationes, filacteria, & breuia quæcunq; etiam cum nominibus Sanctis, quibus aliqua occulta virtus inesse dicitur contra inimicos, febrim, canum morsus, morbos contagiosos ex gregibus depellendos, aliaq; huiusmodi, prohibemus, per hæc enim, curiosorum, & imperitorum mentes facilè decipiuntur,

piuntur, cum superstitio sit veræ pietatis falsa imitatrix.

Item immagines, & anulos cum characteribus, nominibus, & literis incognitis, vel notis; superstitionis speciem præseferentibus, penitus interdicimus.

Pios verò, & religiosos Sanctæ Crucis, & piarum Immaginum vsus (omni abiecta inani obseruatione) summopere commendamus, & ab omnibus retineri mandamus, ne dum superstitionis radices extirpare studemus, simul etiam è rudium animis, sinceræ pietatis semina euellamus.

Cap. 4.

Et quoniam pro hominum, & locorum varietate, varia etiam sunt superstitionum genera, omniaq; recensere, propè infinitum opus esset; ideò generaliter statuẽdo dicimus, quod omnia, in quibus temporum, dierum, horarum, numeri, & loci obseruationes, cum anxia quadam corporis compositione, (quam præterire, nefas putetur) cõcurrunt,

F *tan-*

tanquã superstitiosa vana, & à Sãcta Eccle-sia Catholica ritu vsu, & traditionibus alie-na prohibẽtur, cũ per hæc sese diabolica socie-tas (omni pietatis studio fugiẽda) sẽsim insi-nuet, diuiniq́; cultus error hisce rebus specie boni velatis, cum magno animarum exitio inducatur.

In eos autem, qui huiusmodi diuinatores, sortilegos, ariolos, & cuiusuis generis ma-gos consuluerint, vel vt ab alijs consuleren-tur, auctores aut hortatores fuerint, vel eis fidẽ habuerint, seuere animaduertemus.

Confessarij quoq; in eo genere diligentes se præstent, & vbi pœnitentes aliquo super-stitionis genere vsos fuisse, vel eis fidem ad-hibuisse inuenerint, eos grauiter obiurgent, & ab huiusmodi vano errore deterrere, & auertere conentur.

Cap. 5.

Vanam Astrologorum superstitionem, quam tot sæculis semper damnauit Eccle-sia, vt ex Astrorum obseruatione, motu fi-gura

gura, & aspectu, futuros euentus qui à libertate arbitrij pendent, & quos sibi Deus reseruauit praenoscant, est à Christianis hominibus penitus repudianda, & abhominãda, Astrologiq; affirmantes se opera nostra ex planetarum influxu certò scire, nisi à sua dementia resipiscant grauiter puniantur, iuxta pontificias sanctiones, ac praecipuè iuxta saluberrimam constitutionem, quam Sixtus Quintus Sanctißimus, & prudentißimus Pontifex (cuius memoria nulla delebitur obliuione) contra iudiciariam Astrologiam adidit, cuius constitutionis summarium hic inserere placuit.

Prohibetur igitur inprimis in praeallegata constitutione Astrologia iudiciaria, & subijciuntur officio Sanctißimae Inquisitionis dantes operam Geomantiae, Hidromantiae, Aeromantiae Piromantiae, Onomantiae, Chiromantiae, Necromantiae, & alijs sortilegijs, & superstitionibus, cum tacita saltem Daemonum societate, fabis, vel granis

tritici iactis.

Item qui ſignis, & ſuperſtitionibus ad futurorum notitiam vtuntur.

Item qui Dæmones inuocant, circulos deſcribunt, eis thurificant, & huiuſmodi impia faciunt.

Item qui abutuntur Sacramentis, vel Sacramentalibus ad futura præſcienda.

Item qui in corporibus obſeſſis, vel phanaticis mulierum Dæmones de futuris, vel occultis interrogant.

Item qui in phialis aqua plenis, vel ſpeculo, candelis accenſis, etiam benedictis, ſub nomine Angeli Sancti, & albi in vnguibus, vel palma manus, Dæmones orant vt occulta, & futura per apparentes immagines, vel phantaſticas viſiones ſibi manifeſtent.

Item qui exercent Aſtrologiam iuditiariam, etiam ſi affirment, vel proteſtentur, ſed id certò non affirmare, niſi contineat tantum, pertinentia, ad agriculturam, rem

me-

medicam, vel nauigationem.

Item omnia prædictorum scripta, & libri damnātur, ac eos habentes, prædictaue sortilegia, superstitiones, diuinationes, & huiusmodi exercentes, sanctissimo offitio Inquisitionis pariter subijciuntur, vna cum prædicta docentibus.

De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, exigit itaq; Christianæ pietatis ratio, vt Sanctorum Reliquiæ tanquam perennes, gratiarum, miraculorum, & sanitatum fontes; pratiosaq; diuinæ charitatis pignora à nobis religiosè colantur, magnaq; reuerentia seruentur, ac tractentur, dum enim Crucis Christi inimici, in nascentē Ecclesiam barbarico furore deseuirent, effunderent sanguinem Sanctorum, tanquam Conc. Trid. sess. 25. in princ. de Inuoc. ven. & reliq. ss.

aquam

aquam, ponerent morticinia eorum escas volatilibus Cœli, & bestijs terræ, igneq; & aqua consumenda traderent, voluit Deus optimus maximus has carnes, hæc ossa, hos sanguines, hos cineres, quibus pepercerunt volucres, bestiæ, pisces, ignis, & aqua, ingenti miraculo conseruari, ad præsidium, & decus Catholicæ Ecclesiæ; & quamuis antiquis Sacerdotibus in lege dictum esset, ne cōtaminarentur super mortuo, sed qui tetigisset cadauer, vestimenta lauaret, nunc tamen (diuina bonitate) qui Martirum corpora, & ossa tetigerit ob gratiam corpori insidentem, sanctificationis, & benedictionis efficitur particeps, ideoq; maximè dolendum est, nostræ ætatis Hæreticos eadem impietate debaccari in Sāctorum Reliquias, quæ olim Pagani sæuiebant in ipsos Sanctos, si enim in veteri testamēto, tam Religiosè custodiebatur in templo gladius Goliæ, quo eum interfecerat Dauid, si tanta veneratione colebatur sacra illa quærcus Mambræ

propter

propter Reliquias Patriarcharum ibidem sepultas, quanta maiori religione, & veneratione colendæ, & venerandæ sunt Sacræ Reliquiæ Christi inprimis, Gloriosæ Virginis, aliorumq; Sanctorum, Lignum Crucis Sanctum Sepulchrum, Præsepe, Claui, Lancea, Spinæ, Vestes, Zonæ, Sudaria, diuina Domus Lauretana, in qua negocium Redemptionis nostræ, Et verbum caro factum est, Sanctorum item cum Christo regnantium corpora, & membra, quæ dum viuerent habitaculum fuerunt Spiritus Sancti, Sepulcra, vestes, cathenæ, vincula, carceres, patibula, aliaq; tormentorum, & mortis genera, per quæ tanquam per scalam Iacob, in cœlestem gloriam Martires ascenderunt, quapropter Sacri Conc. Trid. & vltimè Synodi Auximanæ vestigijs inhærendo placuit nobis hæc statuere circa Sacrarum Reliquiarum conseruationem, venerationem, & ostensionem.

In

Cap. 2.

In primis igitur Reliquiæ omnes diligenter, & accuratè recognoſcantur, literæq; & cuiuſuis generis monumẽta ad illas ſpectantia inſpiciantur, & quomodo translatæ, vel habitæ fuerint perquiratur, etiam per teſtium examinationem, nè fortè eueniat, vt illorum corpora venerentur in terris, quorum animæ cruciantur in Inferno.

Cap. 3.

Reliquiarum, & Corporũ Sanctorum, quæ (ſingulari diuinæ largitatis munere) requieſcunt tam in Ciuitate, quam etiam in vniuerſa Diœceſi Auximana, fiat cathalogus, annotẽturq; diſtinctè, & ordinatè in libro ad id deſtinãdo, qui liber in Archiuio Epiſcopali perpetuo cuſtodiatur, & aſſeruetur.

Cap. 4.

Sanctorum Reliquiæ, præſertim inſignes, quæ in qualibet Eccleſia reperiuntur ad Populi deuotionem excitãdam in Tabula ænea

vel

vel lapidea literis incisa describantur, eaq; parieti eiusdem Ecclesiæ affixa in omnium conspectu sit.

Cap. 5.

Nullus etiam regularis, aut quouis modo exemptus nouas Reliquias promulgare, aut populo venerãdas proponere, noua item miracula enuntiare, aut quicquam noui in hac re gerere audeat, nisi nostra approbatione, & licentia præcedente.

In nouis autem miraculis approbandis, nouisq; reliquijs recipiendis seruetur forma à Sacro Conc. Trid. tradita, siq; aliquando (prout sæpè euenire solet) vulgi concursu, & Populi clamore, aliquid pro miraculo, aut Reliquia euulgetur, curandum erit huic incerto rumori piè obsistere, quousq; rei veritas detegatur, & comprobetur. C. 1. & 2. de Reliq. & vener: sanct. Conc. Trid. sess. 25. In princ. de inuoc. & vener. sanctor. vers. Hæc vt fidelius.

Cap. 6.

Sanctorum Reliquiæ in priuatis domibus nec apud laicos homines, sed in Ecclesia tantum, & in loco benè septo, atq; ornato, pro

Ecclesiæ dignitate, & facultate, omnino conseruentur.

Cap. 7.

Consuetudinem illam, quam in multis Ecclesijs hactenus seruatam fuisse vidimus & audiuimus, vt Sanctorum Reliquiæ in Tabernaculo Sanctissimi Sacramenti in Armarijs cum oleis sanctis, aut in Sacristia cum sacris vestibus, & Ecclesiasticis ornamentis conseruentur, omnino tollimus, & abrogamus, cum enim alius cultus Eucharistiæ, & alius sacris Reliquijs debeatur, insimul conseruari nō decet.

Cap. 8.

Armarium, Fenestra, vel Arca, in quibus sacræ Reliquiæ erunt conseruandæ ad nullum alium vsum deseruiat, & pāno serico aut alio pretioso velamine intrinsecus vestiatur, sintq; hæc Reliquiaria benè munita solidè compacta, atq; conglutinata, vt nec à muribus, nec ab humiditate lædi possint.

Ha

Habeant singulæ maiores Reliquiæ proprias thecas, siue vascula saltem ex ære inaurato.

Minores verò Reliquiæ panno serico sint inuolutæ; distincto serici colore, pro ratione Sanctorum, quorum sunt Reliquiæ singulæq; habeant propriam inscriptionem, pāno cui sunt inuolutæ adiunctam; illæ verò, quarum nomina ignorantur, sed tamen probatæ sunt, habeant, & ipsæ hanc inscriptionem. Reliquiæ Sacræ, quarum nomina ignorantur.

Cap. 9.

Locus in quo Reliquiæ conseruantur saltim duabus clauibus, illisq; diuersis claudatur; quarum vnam in Nostra Cathedrali Ecclesia conseruet Archidiaconus, alteram verò Archipræsbyter, quos Reliquiarij custodes eligimus, & deputamus. In Ecclesijs verò per Diœcesim constitutis, vna clauis sit penes Rectorem Ecclesiæ altera verò penes Magistratum loci.

Non tamen improbamus cõsuetudinem illam, vt sub tribus, vel pluribus clauibus Reliquiæ conseruentur.

Cap. 10.

Optamus vehementer, vt antè Reliquiaria (nisi Sanctißimo Eucharistiæ Sacramento ità propè fuerint collocata, vt vna lampade duplici cultui satisfiat) lampas propria iugiter, & aßiduè ardeat, si tamen hæc impensa (consideratis Ecclesiæ facultatibus) commodè fieri poterit. Corpora verò sanctorum, & Reliquiæ valde insignes, vnius lampadis lumine nullatenus careant.

Cap. 11.

Et quoniam in ostendendis Sãctorum Reliquijs plures, & graues abusus irrepserunt, nõ sine maximo piarum mentium scandalo, & offensione, visum est nobis, certam etiam formam in hoc præscribere, abususq; omnes, illiberales exactiones, & turpes quæstus (quantum cum Domino possumus) penitus

nitus tollere.

Frequentem Reliquiarum à suis loculis eductionem, & expositionem potius irreuerentiam, & contemptum parere, quam deuotionem augere, experientia, & ratione comprobatur, igitur nō passim, omniq; tempore, sed in maioribus tantum solemnitatibus, vt potè Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, & in festo die ipsius Sancti, cuius sunt Reliquiæ populo ostendantur, idq; non ità simpliciter, sed magna cum reuerentia, & apparatu fiat, vt Christiani præsertim ignari ad Sacrarum Reliquiarum venerationem magis incitentur, & inflammentur. Cum igitur erunt exponendæ, vel recondendæ solemni more pulsentur campanæ, lumina, Antiphonæ, Hymni, & Orationes propriæ, vel communes adhibeantur, & vbi commode fieri poterit, etiam processio per Ecclesiam celebretur.

Sacerdos qui in illa Ecclesia maiorem ob

tinet

tinet dignitatem, superpellicio, stola, & pluuiali indutus, id manus reuerenter pbeat.

Cum Reliquiæ educuntur, vel reponuntur, & cum in via feruntur, semper thurificatio adhibeatur.

Numquam quæstus causa, sed pietatis dumtaxat, deuotionisq; excitandæ gratia, fidelibus proponantur; illiberalesq; exactiones (quas oblationes vocant) minimè fiant, nullus autem verbis, aut signis Populum ad erogandas eleæmosinas inuitet, aut capsulæ ad suscipiendas dictas oblationes retineantur, sed omnis pœnitus auaritiæ suspicio, à Sanctuario Dei arceatur; sub pœna arbitrio Nostro imponenda.

Cap. 12.

Dum Sacræ Reliquiæ in altari positæ sunt saltem quattuor candelæ grandiores, ibidem accensæ colluceant, adhibeanturq; ad earum custodiam duo, vel saltem vnus Clericus superpellicio indutus, qui ibidem semper aßistat.

Ava-

A vasculis, vbi recondita sunt nõ extrahantur, nec à velo nuda in conspectu populi, vnquam exponantur.

Cap. 13

Sacras Reliquias de vno ad alium locum transferre minime liceat, sine iusta, & legitima causa, & facultate in scriptis à nobis obtenta, nullusq; Rector (etiam regularis) sine eadem licentia, vllas suæ Ecclesiæ Reliquias, earumq; particulas, etiam minimas, sub quouis prætextu, cuiquam concedat, aut largiatur, nec quidem alteri Ecclesiæ, pœna excommunicationis latæ sententiæ inobedientibus proposita. iuxta Constitutionem Greg. XIII.

C. Corpora de consecr. dist. pri. Gre. xiij. in sua cõstit. edita de anno 1583. die 15. Febr.

Mandamus etiam, vt Sanctorum Reliquiæ ad AEgrotos nullo modo deferantur, sub eadem excommunicationis pœna, à qua nulla consuetudo inobedientes excuset, sed sola facultas à Nobis in scriptis obtenta.

Sacræ Reliquiæ à Laicis nullo modo tangantur, aut tractentur, quod Sanctus Gre-

Gregorius tanquam sacrilegium damnat, nec ferendum esse scribit.

De sacris Imaginibus, Pictorumque licentia coercenda.

Cap. I.

Conc. Nic. 2 act. 2. 3. & 4. Conc. Trid. sess. 25. in princ. de Inuoc. & vene. Sanct.

Exod. c. 25. num. c. 21.

Euseb. lib. 4. Histor. Eccl.

PRo Sanctarum Imaginum veneratione, tot Martires passi sunt, tot concilia fuerunt celebrata, vt hæc Ecclesiæ Catholicæ traditio sanguine, & doctrina tantorum Patrum comprobata nulla penitus egeat confirmatione, Deus enim præcepit in veteri testamento Imagines fieri, & in nouo Christus Dominus (vt placet Eusebio Damasceno, alijsq; grauissimis Patribus) Imaginem suam misit Abagaro Edessenorum Regi, quæ adhuc Genuæ asseruatur, & rursus faciem suam linteo impressam reliquit Veronicæ, qua sanatus est Tiberius

Cæsar,

Cæsar, huiusq; Catholicæ veritatis, testis est ipsa Ciuitas Costãtinopolitana, quæ dum hæresis Ariana vigebat, sub pessimis Imperatoribus sanctissimorum hominum persecutiones, vincula carceres, exilia, ac deniq; martiria pro sacrarum Imaginum cultu, & veneratione inspexit.

Cap. 2.

Imagines Sanctorum tribus præcipuè causis fuerunt inductæ, primo propter simpliciũ eruditionẽ, quibus Imagines ipsæ pro scriptura deseruiunt. Secundo propter imitationem vt homines si ex his quæ audiunt nõ excitantur, excitentur saltẽ ex his, quæ vident. Tertio propter memoriæ labilitatẽ, vt Imagines ipsas contemplantes, diuina benefitia, Sanctorumq; opera, ad memoriam reuocemus.

Conc. Trid. in præalleg. sess. 25. in pr.

Cap. 3.

Maxima igitur est cautio adhibenda in Sacris Imaginibus pingendis, sicut enim eas sanctè, ac decenter exornari postulat Christianæ pietatis cultus, ità etiam summope-

Conc. Trid. sess. 25. in pr. de Inuoc. & vener. SS.

re curandum est, ne quod ad ornatum adhibetur parum conueniat cum illarum sanctitate. Quapropter in ornamentis, vel indumentis sanctarum Imaginum, nihil inepti, vel indecori, nihil deniq; inhonesti, ridiculi, aut obsceni, & quod potius ad voluptatem, quam ad deuotionem alliciat, conspiciatur; præsertimq; moneantur pictores, ne in Sacris Imaginibus effingendis, turpis cogitationis occasionem præbeant, sed ita decenter, & grauiter omnia componant, vt ex earũ inspectione animi ad pietatẽ excitẽtur.

Nudas veró præsertim mulierum Imagines omnino vitent.

Cap. 4.

Conc. Trid. in præall. sess. 25. in princ.

Vtq; facilius pictorum nimia licentia, ac temeritas compescatur, statuimus, vt nullæ Sacræ Imagines imposterum publicè exponantur, nisi prius à Nobis, vel alio de mandato nostro fuerint diligenter inspectæ, & peritorum virorum adhibito consilio, approbatæ, ac etiam ex Ecclesiastico ritu, solitisq;

tisq; adhibitis cæremonijs benedicta.

Parochi vero nullo modo permittant in eorum Ecclesijs nouas Imagines exponi, nisi dicta approbatione, & benedictione præcedente, pictores enim cum sacras literas non calleant, sacras etiam historias vt plurimum præposterè, & ridiculè exprimunt, eorum quorum lectio est prohibita, Imagines pingunt, aliosq; errores grauissimos incurrunt, Catholicæ Fidei puritati, repugnantes.

Cap. 5.

Iumentorum, canum, aliorumq; brutorum animalium effigies sacrorum Templorum dignitati nō conueniunt, mandamus igitur, vt huiusmodi animalium simulacra in Ecclesia minime fiant, nisi tamen historiæ sacræ expressio aliter fieri postulet.

Cap. 6.

Historias etiam, quæ Catholicæ Ecclesiæ, aut sanctorum Patrum auctoritate non sunt comprobatæ, sed solum vulgi vana opinione

commendantur, effingi imposterum prohibemus; & pictas deleri mandamus.

Cap. 7.

Crucis Sanctorumq; Imagines in Ecclesiæ pauimento, aut sordido, & minus honestò loco non sculpantur, aut pingantur.

Mandamus etiam, vt in nostra Ciuitate, & Diœcesi sanctißima Crucis vexillum, Christiani Populi Trophæum, & clarißimum diuinæ misericordiæ monumentum, nec etiam Sanctorum Imagines pro signis Tabernarum, & officinarum publicè retineantur.

Cap. 8.

Sacras Imagines nimia vetustate, aut sordibus deletas, ab ijs, quorum interest renouentur, siq; id fieri nō poterit, tabulæ huiusmodi carie consumptæ, & deturpatæ ab Ecclesijs remoueantur, & ne in vilem sordidum, aut profanum vsum conuertantur, ipsas comburi mandamus, & cineres in sacrario reponi.

Hor-

Cap. 9.

Hortamur vehementer fideles omnes, vt in eorum priuatis ædibus Sacras Imagines honestis locis retineant, & collocent, turpes verò, atq; obscenas, ad vanam voluptatem allicientes, vel quæ falsos Deos, aut profanos homines repræsentant, remoueant, & incendant.

In ædibus verò Clericorum huiusmodi profanæ Imagines nullatenus conspiciantur, sub pœna arbitrio Nostro imponenda.

Cap. 10

Concionatores, & Parochi frequenter instruant imperitam multitudinem modum venerandi Sacras Imagines iuxta Niceni, & Trid. Conc. Decretum, nè adorationem latriæ soli Creatori debitam, creaturis impendant, neuè Imaginem venerentur, sed Imaginatum, nec signis tantum adhæreant sed rebus signatis, prout in dicto Niceno Concilio piè fuit declaratum.

Effi-

Effigiem Christi, quam cernis pronus honora,
Non tamen effigiem, sed quod designat, adora;
Nam Deus est, quod Imago docet, sed non Deus ipsa,
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

De Indulgentiis.

Cap. 1.

D. Thom. in 4. sent. Dist. 24.

INdulgentiarum pretiosissimum thesaurum sub Romani Pontificis dispensatione in Ecclesia militanti relictum, quamuis Haeretici diabolico conatu depraedari conetur, remq́; diuinae bonitatis munere concessam maximèq́; his temporibus, quibus Religionis priscus ardor obtepuit, necessariam pertinaciter oppugnent, curandum est tamen omni diligentia vt cœlestem Indulgentiarum vim fidelis Populus intelligat, atque ad

ad vberrimas, salutaresq; earum vtilitates percipiendas se paret.

Cap. 2.

Recognoscat ordinarius adhibitis ad hoc duobus de capitulo iuxtà Sacri Trid. Conc. decretum, omnes Indulgentiarum concessiones, an veræ sint, & probatæ, nulliq; Rectori Ecclesiæ etiam regulari, sodalitati, aut Collegio liceat Indulgentias promulgare, & euulgare, sine recognitione prædicta, ac licentia à nobis in scriptis obtinenda. Conc. Trid. sess. 21. c. vl. de reform. & sess. 25. de Indulg.

Cap. 3.

Indulgentiarum munus, nõ ad quæstum pœcuniarum, sed ad lucrum Animarum faciendum, fuit à Saluatore Nostro in Ecclesia relictum, mandamus itaq; vt Pij Quinti Constitutio, De nõ euulgandis Indulgentijs, quæ porrigentibus manus adiutrices concessæ sunt, seruetur ad vnguem, Indulgentiæq; huiusmodi (si quæ extãt) abrogentur, ac pœnitus tollantur. Pij V. in cõst. incip. Quam plenum, quæ habetur in Bullario fol. 1068. & in alia cõst. quæ incipit. Et si Dominici fo. 969.

Parochi verò, & Concionatores in publica-

blicatione Indulgentiarum doceant ad illas consequendas eleamosinam nō esse necessariam, sed voluntariam (nisi tamen in Bullis Indulgentiarum aliter disponeretur) vt omnes intelligant, spiritualia munera, nō ad quæstum, sed ad peccatorum satisfactionem proponi.

Cap. 4.

Indulgentiarum diplomata, summariaue, aut inscriptiones earum nomine exarata, vel impressa in loco vbi capsa pro eleamosinarum collectione parata est, non affingantur, sed in loco, vbi Indulgentiæ consequendæ causa oratio constituta est.

De obseruatione Ieiuniorum

Cap. 1.

IEiunium tanquam reconciliationis sacrificium, & ad carnis petulantiam coercēdam, salubriter institutum, quam Deo sit gratum, & quam vberes ex eo fructus

ctus colligantur, testes sunt illustres Mulieres Iudit, & Ester, prima etenim sola munita ieiunio, innumeros strauit exercitus Ebriorum, pudicitiam seruauit, & sobrio consilio victoriam reportauit, Ester verò pulchrior facta ieiunio, inuenit gratiam in conspectu Regis, & vniuersum Iudæorum Populum, à persecutionis accerbitate liberauit.

Parochi igitur, iuxta Sacri Concilij Trid. Decretum, fideles suos instruant de ui, & effectu ieiuniorum, modum ieiunandi doceant; eosq; frequenter hortentur; vt vigilias, & ieiunia ab Ecclesia indicta integrè seruent.

Cap. 2.

Vt autem Sacrum Quadragesimale tempus à Christo Domino dedicatum, & à primæuis Apostolorum temporibus, in Ecclesia Dei perpetua, ac mira religione seruatum, in nostra etiam Ciuitate, & Diœcesi religiosius colatur, infrascripta decernen-

da duximus, quæ quolibet anno, in omnibus Ecclesijs Parochialibus prima Dominica Quadragesimæ inter Missarum solemnia Populo publicari mandamus.

In primis igitur omnes vtriusq; sexus fideles, quos vrgens necessitas, imbecilla ætas, aut infirma valetudo, à quadragesimali obseruatione nõ eximit, cuiuscunq; gradus, & conditionis existant, à carne, & ab omnibus alijs, quæ à carne originem trahunt. videlicet:

C. Quadragesima de conss. dist. 5. Conc. Trid. sess. 25 in fine de delect. ciborũ.

Ouis, Lacte, Caseo, Butiro, & alijs huiusmodi toto Quadragesimæ tempore abstinere debent.

C. deniq; dist. 4. S. Thom. sec. 2. q. 147

Tenentur etiam illis quadraginta diebus, qui, tanquam totius anni decima, Deo sunt specialiter dicati (Dominicis exceptis) ieiunium seruare, aliàs sciant omnes qui obseruantiæ Quadragesimalis disciplinam cõtempserint, tot peccata mortalia committere, quot dies ieiunare omiserint.

C. solent de consecr. dist. 1. C. ieiunium, & seq. dist. 76.

Ab

Cap. 3.

Ab hac autem Ieiuniorum lege, & quadragesimæ obseruatione, præter pueros, eximuntur decrepiti, & infirmi, non tamen absq; nostra, vel Vicarij generalis licentia, quæ nō passim concedatur, sed in morbis grauioribus, & Medici testimonio accedente.

Medicos autem monemus, vt non obliuiscantur Christianis hominibus plus animæ quam corporis curam habendam esse, & propterea in huiusmodi literis testimonialibus concedendis, pro violatione Quadragesimæ, maximam adhibeant diligentiam, caueantq; nè eorum nimia facilitate alienis peccatis communicent.

Nec huiusmodi licentiæ dentur, nisi per quindecim dies, cum verò necessitas erit diuturnior, dicto termino elapso renouentur, semper Medici adhibito testimonio.

Senio confectis, & mulieribus prægnantibus, & Puerperis, longior, aut breuior

licentia concedatur, prout necessitas exigere videbitur.

Illi verò quibus ob infirmam valetudinem, vel aliam iustam causam Quadragesima, cæterisq; ieiuniorum diebus, cibis vetitis vesci permissum est, non palam, nec cum domesticis, sed separatim, & in loco remoto cibum capiant, ne alios suo exemplo ad violandum ieiunium prouocent, idq; faciant cum aliquo cordis dolore, quod cæteris in sacra illa abstinentia, se conformare non possint.

Cap. 4.

Quadragesimæ tempore, cibi vetiti ad infirmorum vsum publicè venales non exponantur, sed certis tantum constitutis locis, & Tabernarum valuis non omnino patentibus, sed magna ex parte clausis, nec ab omnibus vendi possint, sed ab illis dumtaxat, quibus nos, vel offitiales nostri facultatem concesserint.

In foro autem, vijsq; publicis nunquam expo

exponantur, nec à rusticis, aut alijs hominibus circumferantur.

Cauponibus verò absq; nostra, vel officialium nostrorum facultate, cibos eo sacro tempore vetitos, nulli etiam hospiti, & peregrino apponere liceat, nec etiam venales retinere.

Præterea cibos eosdem, alio loco coctos, in sua taberna, caupona, vel hospitio comedi non permittant, sub pœna arbitrio nostro imponenda.

Cap. 5.

Quadragesimæ diebus de mane ius non dicatur, nec aliquid fiat, quod ad Iudicij forensis ordinem pertineat, cum eo tempore Christianos homines diuinis officijs, & prædicationi verbi Dei opporteat interesse: nec officinæ patentes vnquam sint, dum sacra concio habetur.

Cap. 6.

Et quia parum prodest carnis abstinentia, nisi etiam mens à culpa ieiunet, hortamur

tamur fideles omnes, vt Quadragesimæ, alijsq́; Ieiuniorum diebus, frequentiores in Ecclesijs conueniant, orationi, & pœnitentiæ vacent, pro peccatis proprijs, & alienis Dei misericordiam implorent, & decimam anni Deo offerentes, carnem etiam suam deciment, eleæmosinas offerant largiores, & quod subtrahitur ventri, erogetur pauperi.

Pratiosas vestes non induant, sed humili, ac modesto vestitu vtantur; conuiuia non fiant; venationes omnino cessent, cum sacris illis diebus, nec carne vesci, nec carnalia sectari liceat.

Caueant autem Ieiuniorum cultores nè ciborum Quadragesimalium delitias, & suauitates exquirant, aut multiplici epularum apparatu mensam exstruant, sed frugalem adhibeant parsimoniam.

T A-

TABVLA Vigiliarum, seu Ieiuniorum, quæ ex præcepto S. R. Ecclesiæ seruari debent.

Vigilia Natiuitatis Domini.
Vigilia Pentecostes.
Vigilia Assumptionis Beatissimæ Mariæ Virginis.
Vigiliæ Omnium, & singulorum Apostolorum, præterquam Sanct. Iohannis Euangelistæ, & Sanctorum Philippi, & Iacobi.
Vigilia festi Omnium Sanctorum.
Vigilia Natiuitatis Sancti Iohannis Baptistæ.
Vigilia S. Lourentij Martyris.
Ieiunium singulis diebus Quadragesimalibus, exceptis Dominicis.
Ieiunium in Quattuor temporibus totius anni.

DE

De Dierum festorum cultu, & obseruatione.

CVM creatura non habeat quid pro meritis respondeat Creatori, & homo ad laudandum Deum sit principaliter creatus, quem non solum in ipso, verum etiam in Sanctis eius laudari iubetur, Regio Pròpheta canente, Laudate Dominum in Sanctis eius, ideo dies festos, qui vel Ecclesiæ præcepto, vel publico voto, vel probata consuetudine, seruantur, Parochi populum sibi commissum, sæpe doceant, ea religione esse colendos, vt sine graui culpa, atq; peccato eorum obseruatio prætermitti non possit, cum ij potissimum ad Dei benefitia in nos collata, piè recolenda, & debitum sanctis honorem tribuendum sint instituti, sicq; ostendant, indignissimum esse sacris illis diebus non modo à ne-

farijs

farijs operibus, illicitisq; negotijs nō abstinere, verum etiam religionis, & pietatis opera omni diligentia nō præstare.

Igitur fideles omnes in Dominicis, alijsq; festis diebus, Ecclesias frequentent, Sacrosancto Missæ Sacrificio animo, & corpore intersint, idq; ieiuni præstent, quemadmodum diuini officij ratio postulat. Parochi verò (præsertim in Pagis) nō omittant Parochialibus suis sæpenumero annūtiare, ac illud Ecclesiasticum præceptum exponere, quo Christiani omnes sub peccati mortalis reatu in diebus festis Missæ interesse debent.

Prædicationes, & Lectiones sacras audire non prætermittant, in operibus pietatis se exerceant, totumq; illorum dierum tempus, quod Deo præcipuè debetur, in sanctis actionibus sanctè consumant.

Vt autem sigillatim cognoscantur, quæ sacris his diebus, tanquam à diuino cultu aliena, debeant euitari, decernimus

infrascipta.

L. more Romano. ff. de fer. *In primis declaramus quod fœstorum dierum initium sit ab antecedenti media nocte, vsque ad subsequentem mediam noctem.*

Quo spatio vigintiquattuor horarum durante, ab omnibus operibus seruilibus cessetur, nec aliquid fiat, etiam eleemosinæ, aut pietatis specie, vel ad fabricæ Ecclesiæ,
C. 1. de fer. *aliorumuè piorum vsum, sine nostra, vel officialium nostrorum licentia; Iudicia non exerceantur, omnisq́; Tribunalium strepitus pœnitus conquiescat.*

Rei nõ torqueantur, nec testibus iuramenta deferantur, nisi tamen ad reorum defensionem essent examinandi, laicorum Conuentus, qui consilia appellantur diebus festis ne fiant, verum si necessitas vrgeat, post vesperas transferantur.

Tabelliones, Contractus, & Instrumenta non conficiant, nisi quæ à iure nominatim permissa sunt. Videlicet Pacis,

Spon

Sponſalium, Matrimonij, & aliarum rerum, quæ pietatem præſeferunt.

Choreas, ſaltationes, præſertim publicas, ludos, aliasq́ profanas actiones, & inania ſpectacula, etiam in honorem Sanctorum, alioue quouis prætextu introducta, pœnitus prohibemus, cum in his nõ honoretur, ſed potius offendatur Deus, dies autem feſti ſpiritualis commodi, non profanæ voluptatis gratia ſunt inſtituti.

Mimi, Histriones, Præſtigiatores, aliiq́ circumforanei, circulatores, ſuam artem exercere diebus feſtis prohibeantur, nec Imagines, libros, aliasuè merces Populo venales proponant, nec circumferant.

Mercatus, Emporia, Nundinæue diebus feſtis minime fiant, ſed quæ ex antiqua corruptela ipſo die feſto fieri conſueuerunt in antecedentem, vel ſubsequentem diem transferantur.

Officinæ omnes clauſæ permaneant, nec aliquid venale publicè exponatur; res ve-

ro ad victum necessarias vendere licebit, dummodo earum causa officinæ apertæ non retineantur, sed earum ostiolum paruum solummodo pateat, reliqua omni parte clausa.

In plateis Ecclesiarum dum diuina celebrantur officia, res venales nullo vnquam tempore exponantur.

Pistores in diebus festis frumentum, & farinam nō purgent, aut panem coquant.

Molitores frumentum non asportent, nec in eorum Pistrino aliquod opus exerceant, nisi forte ob plurium dierum festorum continuationem, aliud necessitas cogat.

Tonsores, capillos, aut barbam non tondant, vel caput abluant.

Oliuæ non conterantur, seu molantur, nec oleum exprimatur.

Pāni cuiuslibet generis non abluantur.

Si quis vehiculis, aut bestijs merces fruges, aut alia huiusmodi vehere deprehensus erit, præter diuinam vltionem, ea plecta

tur

tur pœna vt res, bestias, & vehicula amittat, quæ ex nunc fabricæ maioris Ecclesiæ loci, in quo peccatum fuerit adiudicantur.

Cœteri verò quoquomodo festorum violatores, & contemptores, pœna scutorum decem in pios vsus arbitrio Nostro erogandorum mulctentur, ac præterea in subsidium Ecclesiastico subiaceant interdicto.

Si verò filij, famuli, vel ministri deliquerint, & dies festos violauerint, Patres, & Domini teneantur pro ipsis, & pœnas luant.

Monemus autem omnes Ciuitatis, & Diœcesis Nostræ fideles, vt non timore pœnæ, sed Dei intuitu, diuinum præceptũ de festis sanctificandis integrè obseruẽt, considerẽtq; quod publicis peccatis, publica etiam Deus decernit supplicia, ac fortasse propter festorum dierum contemptũm populi pestilentijs opprimuntur; fame pereunt; & bellorum angustijs aßiduè affliguntur.

VT

VT autem omnes sciant dies festos in Diœcesi, & Ciuitate Auximana seruandos eos hic inserere placuit.

IANVARIVS.

1. Circuncisio Domini.
6. Epiphania Domini.

FEBRVARIVS.

2. Purificatio B. Mariæ Virg.
24. S. Matthias Apostol.

MARTIVS.

25. Anunciatio Beatæ Mariæ Virg.

APRILIS.

25. S. Marcus Euangel.

MAIVS.

1. SS. Philippi, & Iacobi Apostol.
3. Inuentio Sanctæ Crucis.

IVNIVS.

24. Natiuitas S. Ioannis Baptistæ.
29. SS. Petri, & Pauli Apostol.

IVLIVS.

25. *Sancti Iacobi Apost.*

AVGVSTVS.

10. *Sancti Laurentij Martir.*

15. *Assumptio B. Mariæ Virg.*

25. *S. Bartholomæi Apost.*

SEPTEMBER.

8. *Natiuitat. Beatæ Mariæ Virg.*

21. *S. Matth. Apostol. & Euangel.*

29. *S. Michaelis Archang.*

OCTOBER.

28. *SS. Simonis, & Iudæ Apost.*

NOVEMBER.

1. *Festum omnium Sanctorum.*

11. *Sancti Martini Episc.*

30. *S. Andreæ Apost.*

DECEMBER.

21. *S. Thomæ Apost.*

25. *Natiuitas D. N. Iesu Christi.*

26. *S. Stephani Prothomart.*

27. *S. Ioan. Apostol. & Euang.*

28. Sanctorum Innoc.ntium.
31. S. Siluestri Papæ.

FESTA MOBILIA.

Pascha Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus.
Ascensio Domini Nostri Iesu Christi.
Pentecostes cum duobus diebus sequentibus.
Festum Sanctissimi Corporis Christi.
Omnes Dies Dominici.

IN illis verò locis in quibus ex antiqua, & laudabili consuetudine publico voto, vel particulari deuotione, alij dies festi obseruari consueuerũt, dictam piam consuetudinem, & religiosum institutum commendamus vehementer, & in posterum integrè seruari mandamus

DE

De natali die B. Theclæ Virginis, & Prothomart.

P*IA Sanctorum Patrum prouidentia institutum est, vt quos Deus omnipotens sicut Sol in conspectu suo fulgentes, in cœlis coronat, pio cultu in terris veneremur, illis præcipuè diebus, quibus ad cœlestia regna eos migrare contigerit, dum enim recensentur merita, virtutum quoq; exempla, fidelibus proponuntur, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Quapropter cum Cathedralis Nostra Ecclesia sub inuocatione Beatæ Virginis, & Prothomartiris Theclæ fuerit fundata, & constructa, maximè conuenit, vt eiusdem festus dies qui viiij. Kal. Octobris recolitur, ea qua potest maiori veneratione, pioq; ac solemni cultu in nostra Ciuitate, & Diœcesi celebretur, fuit enim Beata Thecla Primogenita Diui Pauli, ac*

etiam inter fœminas Protomartir meruit appellari, cum prima pro Christi Confessione ignem, ac bestias deuicerit, & ideò tam Græci, quam Latini Patres summo semper in honore habitam, summis etiam laudibus extulerunt, celebrisq; ac latissimus fuit, tam in Oriente, quam in Occidente eiusdem Beatæ Virginis cultus, adeò vt multi Imperatores, amplissimas, & Augustissimas Basilicas in eius honorem erexerint. Nos igitur qui erga hanc sacratissimam, & Apostolicam Virginem, & Prothomartirem, Ecclesiæ Nostræ patronam specialem gerimus deuotionis affectum, nihil non egimus, vt à Reuerendiss. Archiepiscopo Mediolanensi (in cuius Metropolitana Ecclesia dictæ Prothomartiris sacrum corpus nunc asseruatur) aliquas illius Reliquias obtineremus, prout singulari eiusdem Archiepiscopi pietate, & probitate obtinuimus dentem, & partem maxillæ dexteræ, quas Sacras Reliquias ad nostram

Cathe-

Cathedralem Ecclesiam honorificè, & solemni pompa transferri curauimus, obtenta etiam à Sanctißimo D. N. Clemente viij. plenaria Indulgentia, tam pro illis qui dictæ Translationi interuenerunt, quam etiam pro omnibus alijs, qui festo die Beatæ Theclæ nostram Cathedralem Ecclesiam imposterum visitauerint, & nè vllo vnquam tempore harum rerum pereat memoria, Breue Apostolicum, & testimoniales literas eiusdem Archiepiscopi hic inseri mandauimus.

Clemens Papa VIII.

VNiuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem, cœlestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti precibus quoq; pro parte dilecti filij nostri Antonij Mariæ S.R.E.

Presbyteri Cardinalis Galli nūcupati, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Omnibus vtriusq; sexus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui Ecclesiam Cathedralem Sanctæ Theclæ Ciuitatis Auximi, in festo eiusdem Sanctæ Theclæ die xxiij. Septembris celebrari solito, ac prima Dominica Quadragesimæ, qua die (vt accepimus) nonnullæ Reliquiæ eiusdem Sanctæ ad dictam Ecclesiam de proximo solemniter, ac processionaliter transferentur à primis Vesperis, vsq; ad occasum Solis cuiuslibet dierum huiusmodi, singulis annis deuotè visitauerint, ac processioni dicta prima Dominica proxima futura deuotè interfuerint, ac ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias, ac deuotas preces effuderint, quo ex diebus prædictis Ecclesiam prædictam (vt præfertur) pro tempore visitauerint, aliaq; præmissa fecerint

rint

rint si Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur, præsentibus vsq; ad annum Iubilei proximi exclusiuè dumtaxat valituris. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub anulo Piscatoris die xxvij. Februarij. 1593. Pontificatus Nostri anno secundo.

M. Vestrius Barbianus.

Gaspar Dei, & Apostolicæ Sedis gratia S. Mediol. Ecclesiæ Archiepis.

ET pietati consentaneum, & obseruantiæ, qua Illustrissimum, & Reuerendissimum Dominum Cardinalem Gallum prosequimur, debitum arbitramur

tramur, vt cum ille à nobis aliquam particulam Reliquiarum Sanctissimæ Virginis, & Martyris Theclæ, quæ in Ecclesia nostra Metropolitana, constanti, & antiqua traditione religiose asseruantur, petierit, nos eiusmodi pio illius desiderio obsequamur. Itaq; dentem, & partem maxillæ dexteræ ex illis Sacris Reliquijs, manibus proprijs sumpsimus die vltimo Mensis Decembris 1592. præsentibus Reu. DD. Ferdinando Cruceio Archidiacono, Fabritio Castrofranco, Lanfranco Regna, Ambrosio Pusca Canonicis ordinarijs Ecclesiæ Metropolitanæ, & Horatio Casato Magistro Cæremoniarum, hasq; duas particulas decenter loculis inclusas transmisimus supradicto Illustrißimo Domino Cardinali, quem sacratißimæ illius Virginis intercessione vberioribus in dies diuinæ gratiæ muneribus cumulari vehementer expetimus. In cuius rei fidem has manu Nostra firmatas, & à Cancellario nostro subscriptas fieri iussimus.

Datæ

Datâ Mediolani ex nostro Archiepiscopali Palatio die quarta Ianuarij 1593.

Gaspar Archiepis.

Iulius Brunc. Eccl. Mediolan.
Canon. ordin. Canc. Archiep.

Cap. 2.

Quare nos qui huic Auximanæ Ecclesiæ (Domino ità disponente) præsumus, nomen & sanctitatem eiusdem Virginis Theclæ (quantum nostra patitur infirmitas) decorare volentes, hac præsenti constitutione decernimus, & mandamus, vt gloriosus dies, quo ipsa ex hoc collacrimabili sæculo, ad cœlestem Patriam euolauit, solemniter peragatur, & duplici officio vna cum octaua, tam in Ciuitate, quam in Diœcesi celebretur.

Cap. 3.

Præcipimus etiam vt dictæ gloriosæ Virginis

ginis Natalis dies in nostra Ciuitate Auximana, sicut aliæ Sanctorum festiuitates, quæ ex generali Romanæ Ecclesiæ præcepto sanctificantur, imposterum deuotè obseruetur, & ab omnibus operibus seruilibus, illicitisq; negotiationibus pœnitus cessetur, nec non Cathalogo aliorum dierum festorum adiungatur.

De Sacramentis in genere.

Cap. 1.

Conc. Trid. sess. 7. de Sacram in prin.

SAcramentorum omnium Auctor, & Institutor extitit Christus Dominus, eaq; numero quidem paucissima, obseruatione facillima, & significatione præstantissima in terris reliquit, tanquam diuinæ gratiæ instrumenta, ad sanctificandas animas, eorumq; virtus, & fructus maior est, & vberior, quam verbis expli-

cari possit, Quis enim loquetur potentias Domini?

Exigit itaq; Christianæ pietatis ratio, vt hæc Sanctissima pignora Redemptionis æternæ; vasa diuinæ misericordiæ purè, ac religiosè tractentur, internaq; animi pietate, & externo cultu administrentur, nè Sacerdotes, qui sacris his misterijs aliorum salutem adiuuare debēt, sibi mortem comparent, & tanquam mali Sacerdotes, de Sacerdotio suo crimen acquirant, non dignitatem, compleaturq; vaticinium B. Cipriani Martiris, quod propter impuritatem ministrorum, Deus Altare suum repellit, sanctificationibus maledicit, odit sabbata, abhominatur solemnia, odoramenta fœtent, displicent holocausta. Sanct, Cipri. in serm. de oper. fidei.

Cap. 2.

Parochi, qui ad Sacramenta populo ministranda, omni temporis momento parati esse debent, ab omni etiam peccati labe (quãtum humana fragilitas patitur) vacare stu

deant; sciantq́, quod ministrando Sacramenta cum peccato mortali, peccant mortaliter, & graue sacrilegium committunt (licet Sacramenta ipsa nulla ministri foeditate maculentur) nisi tamen peccatum confessione sacramentali, vel saltem contritione expietur.

C. significastis 1. q. 1.

Cap. 3.

Cum vero Sacramenta Ecclesiæ non solum absq́; simoniæ labe, verum etiam sine aliqua auaritiæ suspitione administranda sint, caueant Parochi, ne in illorum administratione aliquid, etiam minimum exigāt, aut aliqua mercedis pactio intercedat, nec verbis, aut signis aliquid directè, vel indirectè petant, sed quæ gratis acceperunt, gratis etiam dent, purè, sincerè, sine labe, aut labis suspicione. Qui secus fecerint, pœnis a iure communi statutis, & alijs arbitrio nostro plectentur; gratia enim quæ gratis non datur, vel accipitur, gratia non est.

C. 1. pri. questio pri. vbi Turrecre.

Si quid autem sponte eleæmosinæ nomine, & pietatis

& pietatis studio offeratur Sacramentorum Ministro; id accipere poterit iuxta laudabilem locorum consuetudinem, non tanquam dispensationis pretium, sed tanquam necessitatis stipendium. C. ad Apost. ex. de Simo. Turrecr. 1. q. 1. c. 1.

Cap. 4.

Cum Sacramenta, tanquam inuisibilis gratiæ visibiles formæ aliud ingerant sensibus, aliud interius efficiant, curent Parochi, vt Populus eis commissus Sacramentorum vim, & efficaciam intelligat, iuxta Romanum Cathechismum, crebrisq; cohortationibus in id maximè incumbant, vt ad dignam Sacramentorum susceptionem, & frequentationem fideles omnes se disponant.

Cap. 5.

AEgrotos suæ Parochiæ (etiam non vocati) sæpe visitent, & eorum animabus, omni qua possunt diligentia consulant: Quacunq; diei, vel noctis horà ad infirmos fuerint vocati pro ministrandis Sacramen-

tis (omni mora postposita) prompto & alacri animo properent, & ea qua decet charitate, munere suo fungantur; norintq́ se grauissimè peccare, & grauissimas in vtroq́ foro pœnas daturos, si quispiam absq́ Sacramentis eorum culpa, & negligentia decesserit.

Cap. 6.

Caueant Sacerdotes omnes, ne in solemni Sacramentorum administratione aliquid eorum formis addant, vel minuant, sed in omnibus retineant receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, iuxtà Sacri Conc. Trid. decretum; res mundas adhibeant, ac purè, sanctè, religioseq́ omnia tractent, & peragant, vt adstantes ad deuotionem incitent, & inflamment.

Conc. Trid. sess. 7. de Sacram. can. 13

Cap. 7.

Sacramentis, & sacramentalibus ad alium vsum, quam à S. R. Ecclesia inductum, nullus abutatur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Et

Cap. 8.

Et, ne possit temeraria manus ad Sacramenta, aut Sacramentalia extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda, mãdamus, vt in cunctis Ecclesiis, sacra Eucharistia, Chrisma, Oleum infirmorum, & Aqua Baptismalis sub tuta custodia (clauibus adhibitis) conseruentur; claues verò à Parochis tantum retineantur, nec alterius fidei committantur; quod si Curati in Sacramentorum custodia negligentes fuerint, trium mensium suspensionem incurrent, iuxtà Innocentii iii. constitutionem, si verò per eorum incuriam aliquid deterius contigerit, grauiori etiam subiacebunt vltioni arbitrio nostro.

C. statuimus de cust. Euch. & Chris.

C. 1. vbi Glo. ex. de cust. Euch.

Cap. 9.

Parochi, quibus Sacramentorum cura credita est, adhibeant in eorum administratione superpellicium, & stolam coloris quem requirit Sacramentum ipsum, quod ministratur, nec illa vnquam administrent

sine

sine lumine (Sacramento pœnitentiæ excepto) valde enim indecorum est, vt Christi misteria (qui est lumen de lumine) in tenebris celebrentur.

Absit deniq; à Sacramentorum dispensatione irreuerentia, auaritia, & superstitio, & seruentur Decreta à Nobis facta in visitatione, sub pœnis in eisdem contentis.

De Sacramento Baptismi.

Conc. Trid. sess. 7 in pri. de Bapt.

INter Septem Ecclesiæ Sacramenta, quibus tanquam septem stellis (vt Beatus Ioannes in Apocalipsi scriptũ reliquit) Christus dotauit, & ornauit sponsam suam Ecclesiam, primum locum obtinet Baptismus, tanquam Ressima Domini, Aqua expiationis, Ianua humanæ salutis, & fidei sigillum, vt à Beato Basilio vocatur. Maxima

ma igitur est adhibenda diligentia, & reuerentia in hoc diuino misterio peragendo.

Cap. 2.

Baptismus conferatur in Parochiali tantum Ecclesia, ubi fons Baptismalis asseruatur, non autem in priuatis domibus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Nisi tamen ex imminentis mortis periculo aliter quandoq; faciendum sit. Clem. 1. de Bapt. & eius effectu.

Cap. 3.

Proprius tantum Parochus (excepta dicta necessitatis causa) Sacramentum Baptismi administret, nec alius Sacerdos (etiam animarum curam gerens) huiusmodi munus obeat, nisi illi proprius baptizandi Parochus id delegauerit. Si quis autem secus facere ausus fuerit, incurrat ipso facto, suspensionis sententiam.

Cap. 4.

Quamuis Parochus sit ordinarius Baptismi minister, in necessitate tamen quiuis alius (etiam infidelis) habens intentionem

faciendi,

C. prçter dist. 22. S. Tho. in 3. par. q. 67 c. Diaconis dist. 93. Cõc. Trid. sess. 7. de Bapt. can. 4.

faciendi, quod facit Ecclesia, & Christus instituit, erit illius legitimus minister, hac tamen adhibita regula, vt laicus præsente Clerico, Clericus præsente Sacerdote, nec fœmina coram viro baptizandi officium exerceat.

Non sunt tamen improbandæ obstetrices, si aliquando præsente viro forma Baptismi ignaro ipsæ illud administrarent.

Cap. 5.

Curent Parochi, vt obstetrices omnes in sua Parochia existentes, Baptismi materiam, & formam rectè sciant, vt cum casus necessitatis aduenerit, illum conferre possint, & si aliquas ignorantes inuenerint, paternè doceant.

Cap. 6.

Si Infans, propter imminens mortis periculum baptizatus, superuixerit, statim cum per valetudinem licebit, ad Ecclesiam deferatur, vt ei sacrarum cæremoniarum ritus suppleatur: Diligenter autem Parochus

rochus inquirat, qua verborum forma, & qua materia in Baptismo adhibita sit, ut cognoscat an ritè sit baptizatus.

Quod si (re diligenter perquisita, & cum peritis, si aliqua dubitatio emerserit, collata) dubium adhuc relinquatur, de Baptismi validitate, ea formula utatur, si baptizatus es, ego non te baptizo, sed si baptizatus non es, ego te baptizo In Nomine Pătris, & Filij, & Spiritus sancti, iuxtà decretum in nostra visitatione factum.

Quam etiam formam seruet, cum Infans expositus offertur baptizandus, quamuis appensum collo scriptum habeat, quo baptizatus significetur, si diligenter re perquisita dubium adhuc sit, eum non baptizatum, vel minus rectè baptizatum. At vbi Parocho constet infantem ritè baptizatum esse, caueat ne eum iterum baptizet, etiam sub prædicta forma, si baptizatus es &c. quia ex reiteratione Sacramenti irreiterabilis, sacrilegium committeret, &

irregularitatem incurreret.

Cap. 7.

Cum pueris nulla alia via pateat ad salutem, nisi per baptismi sacramentum, curent Parochi omni diligentia, ut infantes quamprimum ab ortu ipsorum, pro salutari lauacro ad Ecclesiam deferantur, docentes parentes grauiter peccare, qui paruulos suos diutius, quam necessitas postulat Baptismi gratia carere patiuntur, eo magis, cum propter infantilis ætatis imbecillitatem innumera illis immineant vitæ pericula.

Conc. Trid. sess. 5. de peccato originali. vers. Si quis paruulos.

Et sicut in veteri lege puerorum circumcisio vltra octauum diem non differebatur, sic etiam videtur dicendum in baptismo, qui Circumcisioni successit, Mandamus igitur, vt saltem infrà octo dies, infantes omnino baptizentur, & Parochi in hoc maximam adhibeant diligentiam, ne eorum culpa, aut negligentia innocentium animæ à Regno Dei excludantur.

Deferantur autem ad Ecclesiam Religiosa in Deum pietate, & modestia quocunque ornatu, & sæculari pompa remotis, vt vanitatum Mundi renuntiatio (quæ in ipso Baptismo verbo fit) opere etiam compleatur.

Cap. 8.

Nullus in vtero matris existens baptizari potest, quod si infans caput emiserit, & mortis immineat periculum, baptizetur, siq; natus superuixerit vlterius non erit Baptizandus, sed solita cærimoniæ supplendæ.

C. si ad matris de conse. dist. 4. c. firmissimè C. qui in matre nis eadē dist.

Si autem manus tantum, aut pes appareat, similiter membrum apparens abluatur cum debita forma verborum, si que postea natus superuixerit, baptizetur cum ea conditione. Si non es baptizatus &c. si autem moriatur saluus est propter Dei misericordiam.

Sum Ang. de Bap. tit. 6. §. 3 D. Thom. in 3. par. art. 11 q. 68. Ricar. dist. 6. art. 1. q. 1. Duran. dist. 6. q. 1. Scot. dist. 4. q. 3.

Cap. 9.

Infantibus non imponantur turpia, aut

ridicula nomina, vel quæ Gentilium, aut impurorum hominum memoriam referant sed illorum, qui ob veram pietatem, Christianasq; virtutes in Sanctorum numerum relati sunt, vt ipsi infantes, cum iam in ætate processerint, nominum similitudine ad illorum Sanctorum immitatonem excitentur, ac præterea frequentius precentur, & eisdem potissimum sanctis, quorum nomina referũt sibi ad salutem Aduocatis vtantur.

Cap. 10

Conc. Trid. sess. 24. de ref. matrim. c. 2.

Patrini in Baptismo adhibeantur non plures duobus vtriusq; sexus, non autem duo viri, aut duæ fœminæ. Potest tamen etiam vnus tantum, siuè vir, siuè mulier, id muneris præstare.

Præter Hæreticos, Iudeos, & Infideles, qui Patrini esse non possunt, prohibentur etiam ab huiusmodi munere, excommunicati, & interdicti, qui eo anno (vt præceptum est) peccata sua Confessi nõ fuerint, & Sacram Eucharistiam in Pascha non

sum

ſumpſerint.

Pater, & Mater infantis, regulares quoq; & Clerici ſacris ordinibus initiati in Patrinos, tam in Baptiſmo, quam in Confirmatione, nō admittantur, vt omnis familiaritatis vitetur occaſio. C. non licet il primo de conſecr. diſt. 4. c. placuit, il ſec. 16. q. 1

Nec præterea admittantur publicæ Meretrices, publica infamia notati, Minores quatuordecim annis, ignorantes orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decalogum, & qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint.

Cap. 11

Vt à Sacramento Baptiſmi omnis ſuperſtitionis occaſio penitus remoueatur, non permittant Parochi, ſal benedictum, vel candelas ad Baptiſmum adhibitas, domum reportari, nec minus linteola, quibus vnctio ſacri chriſmatis fuit exterſa, cum rudes mulierculæ linteola huiuſmodi, ijs, quos compatres aſſumere cupiunt, lauanda, & tangenda

genda tradant, arbitrenturq́ ex huiuſmodi lotione, & contactu, ſpiritualem contrahi cognationem.

Cap. 12

Abrogamus etiam nefariam illam conſuetudinem (ſi alicubi reperitur) collocandi Infantem baptizatum ſuper Altare, vt Compatrum muneribus redimatur, nec etiam (peracto Infantis Baptiſmo) pulſentur campanæ, ſub vanæ ſuperſtitionis prætextu, quod (illis non pulſatis) infans eodem anno ſit moriturus.

Cap. 13

Sacramento Baptiſmi adminiſtrato, Parochi admoneant Patrinos oneris, quod ſuſceperunt, atq́ diligenter curent, quod filij ſpirituales, tales in Chriſtianæ vitæ diſciplina ſe præſtent, quales eos futuros eſſe, ipſi ſolemniter ſpoponderunt.

Moneant etiam puerperas, vt cum primum Domo exierint, ad Eccleſiam Deo gratias acturæ, & benedictionem à Parocho

cho accepturæ accedant.

Denuntient Matribus, & Nutricibus, vt infantem infra annum in eodem cubiculo secum non retineant.

Cap. 14

Infantes, cum primum suis pedibus nituntur, & ambulare incipiunt, ad Parochialem Ecclesiam à parentibus perducantur, vbi à Parocho ex præscripta formula in Sacerdotali Romano, benedictio impartiatur, vt vitæ initium Deo consecratum, reliquas etiam eius partes salutares efficiat, ac demum vita ipsa ibi finem accipiat, unde sumpsit exordium, & religiosa morte in Domino concludatur.

In qualibet baptismali Ecclesia adsit liber pro describendis baptizatis, iuxta formam à nobis in visitatione præscriptam.

De Sacramento Confirmationis.

Cap. 1.

C. de his vero de conf. dist. 5. Conc. Trid. sess. 7. de Confir.

BAptismus, & Confirmatio sunt Sacramenta ità inter se coniuncta, vt ab inuicem separari non debeant, nisi morte praueniente, per baptismum etenim militiæ Christianæ adscribimur, & per Confirmationem armamur ad pugnam, In baptismo à peccatis mundamur, & in Confirmatione virtutibus præmunimur, ne Diabolus nos inermes inueniat.

C. 1. & seq. de consecr. dist. 5.

Quapropter hortamur omnes Diœcesis nostræ fideles vt Sacramentum huiusmodi non negligant, sed per impositionem manuum Episcoporum, & sacram vnctionem Spiritum Sanctum accipiant, & perfecti efficiantur Christi milites, vt in via salutis ex fide in fidem, ex gratia in gratiam, &

ex vir-

ex virtute in virtutem fœliciter progrediantur.

Cap. 2.

Confirmationis Sacramentum non ideò dicitur quod Christianæ Religionis, & fidei professionem, quam in Baptismo fecimus tanquam inualidam, hoc Sacramento confirmare, & renouare teneamur, prout Hæretici impudenter dixerunt; sed inde nomen Confirmationis ductum est, quia ex parte Dei, quod incipit Baptismus, perficit Confirmatio, Baptismus enim dat vitam, Confirmatio incrementum, & robur aduersus omnes carnis, mundi, & Satanæ impetus, & homines ad Christianæ soliditatis perfectionem adducit. C. Spiritus Sanctus de cons. dist. 5.

Cap. 3.

Pueri minores septemnio, & rationis incapaces non confirmentur, nec illi, qui saltem prima fidei rudimenta ignorant.

Cap. 4.

Parochorum munus erit, tēpus huius Sa-

cramenti administrandi, nostræq́; Episcopalis functionis exercēdæ, per aliquot dies antè in Parochialibus Ecclesiis populis denuntiare, simulq́; naturam, vim, & dignitatem eiusdem Sacramenti explicare, hortariq́; vt piè, ac deuotè ad illud suscipiendum accedant, nè eorum culpa eueniat, vt frustra in eos hoc beneficium collatum esse videatur.

Moneant etiam, vt adulti ad Confirmationem accedentes, peccata sua prius confiteantur, vt aptiores reddantur, ad suscipiendam septiformem gratiam Spiritus Sancti.

C. vt ieiuni de conf. dist. 5. D. Thom. in 3. part. q. 72. & in 4. sent. dist. 7.

Curent insuper, vt ieiuni ex Sacrorum Canonum præscripto, & laudabili Ecclesiæ consuetudine, ad hoc Sacramentum accedant; nosq́; etiam studebimus manè potius, quam à prandio illud ministrare.

Cap. 5.

In Sacramento Confirmationis administrando, ea etiam est adhibenda, tum ab Episcopo, tum à Parochis, diligentia, vt qui

turpe vel ridiculum nomen habet, nec conueniens Christiano homini, illud mutet, sumatq; in Confirmationis Sacramento nomen alicuius, qui veræ pietatis, sanctæq; Religionis laude floruerit.

Cap. 6.

In Patrinis verò, qui in hoc Sacramento debent interuenire, huiusmodi adhibeantur cautiones.

Vt vnus tantum, vel vna in hoc Sacramento teneat. C. non plures de cõs. dist. 4.

Nemo plures tribus, eodem die tenere permittatur.

Parentes filios non teneant, nec vir vxorem nec contra.

Nec quis teneat eum, quem in Baptismo tenuit, nisi necessitas cogat. C. in Cathec. de cõs. dist. 4.

Non Confirmati, tenere in Confirmatione alios non possunt.

Masculi fœminas, nec fœminæ masculos in Confirmatione teneant.

Pueri ad maiorum natu Confirmationem,

non adhibeantur Patrini.

Cap. 7.

Doceat etiam Parochus, in hoc Sacramento eamdem contrahi spiritualem cognationem, quæ contrahitur in Baptismo.

Habeat prætcrea librum, in quo omnes Confirmatos, & Patrinos ordinatè describat, iuxta formam in nostra visitatione traditam.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Conc. Trid. sess. 6. cap. 14 de lapsis, & eorum refor. & sess. 14. c. 1. cum sequẽtibus capitu

DEus omnipotẽs, qui in misericordia diues est, & omnipotentiam suam parcendo maximè, & miserando manifestat, vt homines post baptismalem innocentiam amissam, & naufragium factum, secundam haberent tabulam qua adiuti, ad portum peruenire possent, Sanctissimum pœnitentiæ Sacramentum in-

stituit

stituit, & sui indeficientis Thesauri plures in terris reliquit dispensatores, Sacerdotes Videlicet quibus soluendi, & ligandi facultatem concessit, & sicut humanæ naturæ imbecillitas omnibus nota est, eamq; in se ipso vnusquisq; experitur, ità quantum habeat Sacramentum Pœnitentiæ vtilitatis, & necessitatis, nemo ambigere potest, dictum est enim à Sacra Tridentina Synodo, Sacramentum huiusmodi non secus lapsis post Baptismum, quam Baptismum, nondum regeneratis esse ad salutem necessarium.

Cap. non potest quisquã de pœnit. dist. 1. cum seq. capitulis.

Cap. 2.

Parochi igitur in maioribus anni solemnitatibus, doceant plebem sibi commissam fructus huius saluberrimi Sacramenti, quod nos in Dei gratiam restituit per remissionem peccatorum, ex qua sequitur admirabilis quædam tranquillitas, & perturbatæ conscientiæ pax, ità vt pœnitentes, qui piè, ac deuotè adhoc Sacramentum accedunt, in-

cre

credibilem, & omnes sensus exuperantem sentiant voluptatem, vereq; de pœnitentia illud dici possit, quod illius radices sunt amaræ, fructus verò suauiss.mi, & quod bona conscientia Paradisus est,

D Aug. de cathecum.& in lib. de conscientia.

Cap. 3.

Longa in peccatis mora, & diu prorogata Confessio peccatorum, maximàm hominibus perniciem afferre solet, abissus enim abissum inuocat, & peccatum per pœnitentiam non deletum, mox suo pondere ad aliud trahit:

Mandamus itaq; vt Parochi omnes initio Quadragesimæ, & alijs celebrioribus festiuitatibus per anni circulum occurrentibus, Parocchiales suos moneant, in idq; præcipuè laborent, vt Sacramentum Pœnitentiæ (tanquam vnicum post peccatum salutis nostræ remedium) frequentare non omittant cum diligenti, & humili præparatione, nec differant vsq; ad extremum vitæ spiritum, nam, & si de diuina misericordia nūquam

Conc. Trid. sess. 14. c. 5.

Ecclef. ca. 5. Diu. August. de vera Inno.

nunquam sit diffidendum, tamen pœnitentia sera, rarò vera.

Promulgent etiam prima Dominica Quadragesimæ inter Missarum solemnia, & vulgari sermone explicent, salutarem illam constitutionem ab Innocentio iij. in Concil. Later. æditam cuius initium est?

Omnis vtriusq; sexus, qua cauetur vt vnusquisq; semel in anno proprio Sacerdoti peccata confiteatur, & in Pascha Sacram Eucharistiam sumat. C. omnis vtriusq; de pę. & remiss.

Cap. 4.

Grauissimum profectò est munus audiendi Confessiones, & ab illius recta administratione, pendet præcipuè emendatio vitæ, & salus animarum.

Quapropter per viscera misericordiæ D. N. Iesu Christi hortamur confessarios omnes Ciuitatis, & Diœcesis nostræ, vt eorum oneri satisfaciant, & in tam graui negotio sint oculatissimi, & omnem adhibeant diligentiam, vt peccatores in viam

salutis

salutis dirigant, considerentq; ad quod, & quale munus fuerint vocati, & cuius vices in terris gerant.

Cap. 5.

Conc. Trid. sess. 23. c. 15 de reform.

Nullus Sacerdos etiam regularis, Laicorum, aut Clericorum Confessiones audiat, etiam reconciliationis nomine, nisi Parochialem Ecclesiam obtineat, vel à Nobis, aut Vicario nostro generali, ad huiusmodi munus obeundum, fuerit approbatus præuio diligenti examine, cuius rei scriptam facultatem habeat, quæ gratis omnino concedatur iuxta sacri Conc. Trid. decretum.

Regulares vero non examinentur, nisi etiam Superiorum suorum literas testimoniales attulerint.

Cap. 6.

Sacramentum Pœnitentiæ semper administretur cum cotta, & stola, nisi tamen esset breuis reconciliatio, vel aliter necessitas suaderet.

In priuatis ædibus neq; marium, neq; fœminarum

minarum præterquam ægrotantium, aut aliàs ex vrgenti causa, confeßiones audiantur, siq; mulieres sint ægrotæ, non nisi ostio cubiculi aperto.

Cap. 7.

Antè solis ortum, vel post occasum, nullus Confessarius mulierum confeßiones audiat, nisi ex causa necessaria, neque in Cellis, sed in Ecclesia, in loco conspicuo, & in sede confeßionali.

Qui veró extrà Ecclesiam, & extra sedem Confeßionalem audierit, ab eo munere sit suspensus arbitrio nostro.

Cap. 8.

Confessarius Pœnitentem auditurus, illum benignè excipiat, eaq; præfatiuncula vtatur, Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, vt dignè, & competenter confitearis peccata tua. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, amen. Amantèr exquirat conditionem pœnitentis, & in eius vulneribus medici, more perscru-

tandis, & medicina adhibenda, prudenter ſe gerat, oleumq́; & vinum, ideſt miſericordiam, & diſciplinam ſuper infundat.

Cap. 9.

Ad hoc ſacrum, & ſanctum miniſterium nũquam (ſi fieri poterit) accedat Sacerdos cum peccato mortali, licet enim Sacramentorum virtus non à miniſtro, ſed à Chriſto pendeat, tamen quô melior eſt confeſſarius, eo aptius eſt etiam inſtrumentum diuinæ bonitatis, vt per ipſum dignetur pœnitenti pleniorem gratiam, & virtutum incrementum præſtare.

Cap. 10

Sacerdos ad audiendam Confeſſionem vocatus, caueat in primis, ne turpi aliqua cupiditate, inani gloria, aut vana curioſitate accedat, & inde peccandi ſumat occaſionem, vbi peccatorum petenda eſt venia, ſed potius Deum toto cordẽ precetur, vt ipſi tanquam ſuæ gratiæ indigno diſpensatori

ad

ad iudicandum sapientiam, ad medendum prudentiam, & ad miserendum pietatem largiatur.

Cap. 11

Animaduertant Confessarij, ne pœnitentes curiosis, & inutilibus interrogationibus detineant, caueantq́ nè in examinãdis peccatis, & eorum circumstantijs, aut offendiculum præbeant, aut simplices peccata doceant, quæ pœnitus ignorant, quod præcipuè in Confeßionibus puerorum, & mulierum est seruandum, & mulieres breuiter, quãtum fieri poterit, & res ipsa patitur, expedire studeant.

Cap. 12

Caueant etiam Confessarij, ne cum aliquod graue, & enorme peccatum à pœnitente audiuerint, vlla signa admirationis, vel abominationis ostendant, sed potius, tanquam nihil audierint, vsq́ ad finem Cõfeßionis dißimulent, nec peccata exprobrent, aut reprahendant, nisi peracta con-

ſione, caueant inſuper; ne propter vllum peccati genus, minus benignam faciem, quam prius oſtēdant pœnitenti.

Cap. 13

Nemini citò manū imponant, cum pertinacia peccatorum plerunq; ex facilitate, & aſſentatione Parochorum, & Confeſſariorum prouenire ſoleat, paſſim enim videmus homines diabolica fraude deceptos, in aliquo peccati genere aſſuetos, qui licet præcepto de Sancta Confeſſione, & Sacra Communione ſemel, in anno ſatisfaciant, ſemper tamen in eodem peccato perſeuerant. Igitur Confeſſarij muneris ſui partibus, diligenter conſideratis, huiuſmodi malo, quantum in eis eſt mederi ſtudeant, ne præter peccata propria, etiam alienorum peccatorum pondere grauentur, omniq; piæ cohortationis officio, peccatores à praua eorum conſuetudine auertere conētur, & qua via, & ratione ſe quiſq; ex peccatorum ſuorum vinculis eripere poſſit, prudenter doceant, &

oppor

opportunas reprahensiones, quandoq; adhibeant; pœnitentias accomodatas, & pro modo culpæ graues imponere nõ omittant, ne sua nimia facilitate peccandi licentiæ faueant, ità tamen, vt semper misericordiæ D. N. Iesu Christi memores (qui non venit mactare, sed saluare) fumigantia ligñà nõ extinguant, sed cum viderint aliquos peccatores desperationi proximos, si quæ in eis supersunt scintillæ deuotionis, benignè foueant, nec aliquos superbè repellant, & eÿciant, sed potius paterna charitate, ad pœnitentiam, & lacrimas adhortentur, ostẽdantq; quam sit horrendum in die iudicÿ incidere in manus Dei viuentis, & deniq; illud semper præ oculis habeant, quod melius est de misericordia, quam de seueritate, rationem reddere.

Cap. 14.

In pœnitentÿs iniungẽdis, illud animaduertant Confessarÿ, vt luxuriosis ieiunia, disciplinæ, aliaq; carnis mortificationes,

Auaris

* Conc. Trid. sess. 14. c. 8. de satisf. necess. & fruct.

Auaris eleamosinæ, & Superbis humiliationes imponãtur. Pœnitentiæ enim sunt animæ medicinæ, & sicut in morbis corporalibus, ità etiam in spiritualibus contraria contrarijs curantur.

Cap. 15

Pœnitẽtias grauiores, quas verisimile est nõ esse implendas, non iniungant, neq; pro peccato occulto, etiam grauissimo, publicam pœnitentiam imponant.

Publicos vero peccatores, qui scandalum in populo dederunt, nõ absoluant, absq; publica pœnitentia, & satisfactione, iuxtà formam Sacri Conc. Trid. dictasq; publicas pœnitentias in alias secretas satisfactiones non commutent, absq; nostra expressa licentia.

Conc. Trid. sess. 24. c. 8. de reformat.

Cap. 16

Confessarij, turpis auaritiæ, & simoniæ nõ modo vitium, sed suspicionem omnem, etiam minimam, fugiant, & ministerium, quod susceperunt, nõ lucri cupiditate inducti, sed

C. sicut pro certo de simonia c. qui studet 1. q. 1. c. Aurũ 12. q. 2

cti, sed salutis animarum zelo, sanctè, sincerè, & gratis gerant, vberem à Deo laborum suorum mercedem expectantes, alias sciant se fore condemnãdos vna cum Giezi famulo Elisei, qui primus in Veteri Testamento vendidit gratiam sanitatis Naamam Principi Assiriorum.

Cap. 17.

Munuscula, quæ præsertim à mulieribus cum ad Confessionem accessuræ sunt, mitti, vel deferri solent, nullus confessarius imposterum accipiat, præcipuè in ipso actu confessionis, cum hoc deprauati moris sit.

Si quis autem in hoc deliquerit, sit ipso facto ab huiusmodi munere suspensus.

Cap. 18

Pœnitentias pœcuniarias raro imponãt confessarij, & tunc nihil sibi, aut eorum Ecclesiæ applicent, sed alijs locis pijs, nec minus harum eleæmosinarum distributionem sibi committi studeant, nec commissam suscipiant.

Quod

Quod si aliquando iudicauerint peccata eleæmosinis esse redimenda, tunc illarum distributionem, arbitrio pœnitentis penitus relinquant; vt plurimum autem ieiuniorum, peregrinationum, & orationum pœnitentias iniungant.

C. 1. de pœn. dist. 6.

Cap. 19.

Missarum celebrandarum pœnitentiam imponere, nec laudamus, nec vituperamus, licet sanum consilium sit ab huiusmodi pœnitẽtiæ impositione abstinere, vbi tamen Sacerdoti visum fuerit iniungere, vt pœnitens, aliquas Missas faciat celebrare, ne id auaritiæ potius, quam charitati imputetur, à quo Missæ celebrari debeant, arbitrio pœnitentis relinquat.

Cap. 20.

Obseruet diligenter Confessarius (laici enim in hoc frequenter delinquere solent) nè forte pœnitenti, ab alio confessario absolutionis beneficium fuerit denegatum, & propterea alium quærat.

Con-

Cap. 21.

Concubinarijs, Adulteris. Incestuosis, & alijs peccatoribus (præsertim recidiuis) absolutio nullatenus concedatur, nisi remota prius omni peccandi occasione.

Cap. 22

Cum veró confessarij inciderint in pœnitē tem peccatis assuetū, & maximis criminibus grauatum, præter alia remedia contra recidiuum, hoc vnum (tanquam singulare) adhibere conētur, ad illius præseruationem vt per annum integrum, aut sex menses, semel in mense peccata sua confiteatur, & si fieri poterit Sacram Eucharistiam sumat, sic enim ad bene uiuendum promptior, & firmior euadet.

Cap. 23

Commendamus demum Confessarijs sigillum confeßionis, caueantq; omnino, nè detegant verbis, signis, aut alio quouis modo peccatorem, peccatum, vel aliquam illius circumstantiam etiam de pœnitentis licen-

tia, & quamuis nõ reuelando, aliquod magnum immineret periculum, cui tamen pro viribus prouidere studeant, nõ prodendo confitentem vllo modo: nec odiosam faciendo confessionem, Sacerdotes etenim, quæ sibi in confessione dicta sunt, nõ tanquam homines sciunt, sed tanquam Deus, ideoq; nec iuramento, nec Summi Pontificis mandato, ad ea detegenda compelli possunt.

Animaduertant etiam Confessarij, ne vnquam de rebus in confessione auditis, aliquo modo loquantur; si quis autem contrarium attentare præsumpserit, nõ solum officio Sacerdotali deponetur, iuxta Innocentij. iij. Constitutionem, sed etiam alijs pœnis arbitrio nostro punietur.

C. Sacerdos. de pœnit. dist. 6. c. omnis §. caueat. vbi Glos. & Abb. de pœnit. & remiss.

Cap. 24

Si verò in audiendis Confessionibus, casus contingat, super quo Confessarij nesciant pœnitentibus bene consulere, sed alieno egeãt consilio, adeant peritiores, & ab eis maxima cum prudẽtia, & sine expressione alicuius

cuius personæ, consilium petant, tali modo. si hic casus eueniret, quid esset faciendum, aut quomodo in eo esset procedendum. Caueant autem, ne dicant illud habuisse in confeßione, ne ex hoc consultor in suspicionem pœnitentis cadere poßit.

Cap. 25

Laudamus vehementer vt pueri septem, aut octo annorum à parentibus ad Confeßionem transmittantur, vt frequentationi, tam salutaris Sacramenti, à teneris annis assuefiant. Illi verò qui sunt proximi pubertati, & perfectum rationis vsum habere cæperunt, (quod à duodecimo, vsq; ad decimum quartum contigere solet) tempore ab Ecclesia præfinito, & proprio Sacerdoti peccata sua omnino confiteantur.

De Casuum Reser-uatione.

CVM facilitas veniæ incentiuum tribuat delinquentibus, optima fuit
Conc. Trid. sess. 14. ca. 7 *ratione institutum, & Sanctorum Patrum auctoritate, ac deniq; Sacri Conc. Trid. Decretò confirmatum, vt Episcopi quorundam grauiorum criminum absolutionem sibi reseruent.*

Nos igitur, qui animarum nobis commissarum profectibus salubriter intendimus, statuimus quod nullus Sacerdos siuè secularis, siuè regularis à casibus infrascriptis, quos nobis reseruamus, pœnitentes absoluere audeat (excepto mortis articulo) cum enim ab illo momento pendeat æternitas, nulla est eo tempore casuum reseruatio; extrà verò dictum articulum, Sacerdotes à casibus reseruatis absoluere præsumentes, ipso fa-
Conc. Trid. in d. sess. 14. can. 11. de Sacram. pœnit.

cto

cto auctoritate audiendi Confeßiones priuatas.

Declarantes insuper, quòd nullus, sub prætextu priuilegiorum, conceßionum, etiam Maris magni, siue facultatum quarumcũq; sodalitatum, à casibus nobis reseruatis absoluere poteſt, prout Congregatio Illuſtriß. Card. qui Decretis Conc. Trid. interpretandis ſunt præpoſiti, declarauit; cuius declarationis exemplum hic inſerere placuit, cum in hoc regulares ſuis priuilegijs, in detrimentum animarum abutentes, ſæpe peccare audiamus.

Illuſtriß. & Reuerendiß. Domine.
Cum à Sacra Congregatione Cardinalium qui præpoſiti ſunt Conc. Trid. Decretis interpretandis illuſtrißima amplitudo tua quæſiuerit, an regulares ex priuilegijs à Sede Apoſtolica impetratis, præſertim autem ex eo quod nominant Mare magnum, poßint in ijs caſibus, quos ſibi Epiſcopus reſeruauit abſoluere confitentes:

Hac

Hac de re ubi Congratio accuratè egisset, deinde ad S. D. N. retulisset, illius Sanctitas etiam de sententia congregationis, censuit ex facultatibus per hoc Mare magnum aliaue priuilegia regularibus concessis, factam eis nō esse potestatem absoluendi in casibus sibi ab Episcopo reseruatis. Deus Illustriss. amplitudini tuæ perpetuam tranquillitatem, & incolumitatem largiatur, Romæ die x. Septembris. 1579.

CASVS VERO, QVORVM absolutionem nobis, vel nostro Vicario Generali reseruamus, sunt infrascripti.

1 *Qui homicidium voluntariè perpetrauerint.*

2 *Qui primo, vel secundo cognationis, seu affinitatis gradu incestum commiserint.*

3 *Qui cum bestijs coierint, aut in nefandum*

fandum Sodomiæ crimen inciderint.

4 *Qui magicas artes, veneficia, aliaue huius generis similia exercuerint, quiq; in eis, sacris rebus abusi vllo modo fuerint.*

5 *Qui Virginem rapuerint, vel aliam quomodocunq; ex voto Deo dicatam violarint.*

6 *Qui Patrem, vel Matrẽ percusserint.*

7 *Qui falsum in iudicio deposuerint.*

8 *Incendiarij, & qui damni, iniuriaue causa vites, vel arbores alienas inciderint.*

9 *Qui locorum Piorum fructus, redditus, & prouentus, quouis modo iniuste detinuerint, & legata pia non reuelauerint.*

10 *Qui diebus ab Ecclesia vetitis, absq; legitima causa carnem comederint.*

Et, ne aliquis casuum præmissorum ignorantiam allegare valeat, non solum volumus in Ecclesia nostra ex suggestu quolibet anno pro-

pronuntiari, & promulgari; sed etiam in omnibus Confessionalibus tabellam dictorum casuum (de mandato nostro impressam) affigi iubemus.

Vt in Ciuitate, & Diœcesi nostra, eadem absolutionis forma omnes vtantur, mandamus Confessarijs, tam secularibus, quam regularibus, vt deinceps in Confessione Sacramentali seruent formam infrascriptam.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum. tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Amen.

Dominus Noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, (in quantum possum, & indiges) & eadem auctoritate ego te ab-

ſoluo à peccatis tuis. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: amen.

Paßio Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & merita Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & Omniũ Sanctorũ, & quicquid boni feceris, & mali ſubſtinueris, ſint tibi in remißionem peccatorum tuorum, in augumentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. amen.

De Sacramento Euchariſtiæ.

Cap. 1.

EX omnibus ſacris miſterijs, quæ nobis Chriſtus reliquit, & ſupra natura noſtra capacitatem operatus eſt, nullum reperitur, quod Sanctißimo Euchariſtiæ Sacramento, & ſacrificio comparari poßit; in alijs etenim Sacramentis virtute ſua Ieſus operatur; in iſto autem ipſemet fons, & Auctor gratiæ eſſentialiter

Conc. Trid. ſeſſ. 13. de Sanct. Euch. Sacr. c. 1. cũ ſeq. cap.

continetur.

Quamuis igitur tota Ecclesia, domus sit orationis; præcipuus tamen bonor, & reuerentia debetur sancto, & terribili loco, in quo admirabile hoc Sacramentum asseruatur; ideoq; fideles omnes, cum primum Ecclesiam ingrediantur, Sacrosanctã Eucharistiam humiliter venerentur, adorentq; Dominum Nostrum Iesum Christum, tanquam viuum, & verum Deum, qui nobiscum remanere dignatus est, vsq; ad consumationem sæculi; illi gratias agant, quod sunt, quod viuunt, quod eius beneficio redempti, iustificati, & (nisi per eos steterit) etiam sunt glorificandi. Ab eo petant gratiam, & gloriam, illiq; offerant se ipsos sua corpora, & suas animas.

Conc. Trid. in pręall. sess. 13. c. 5.

Cap. 2.

Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, sit (quo fieri poterit) ornatius, ac pretiosius, pro Ecclesiarum facultate, intus panno serico albo, vel rubro circumuestiatur, &

in illius fundo corporale nitidum sternatur, super quo Pixis argentea cum sacris particulis collocetur, exterius verò conopæo pretioso contegatur, sit autem vacuum ab omni alia re, & nihil contineat, præter Sanctißimum D.N. Iesu Christi corpus.

Cap. 3.

Sacræ particulæ renouentur semel in hebdomada, in die Iouis, nisi tamen ob frequentiam illorum, qui Sacram Communionem sumerent (quod maximè cupimus) sæpius ista renouatio facienda esset.

Cap. 4.

Vt verò populus Christianus, & rudes præsertim homines, per externa signa, ad huius Sacramenti cognitionem, & venerationem magis excitentur, mandamus, vt antè Tabernaculum, in quo salutaris Hostia asseruatur; si quidem in nostra Cathedrali Ecclesia, tres lampades iugiter ardeant, in Collegiatis duæ, & in Parochialibus vna, vt latriæ cultus huic Sacramento exhi-

beatur quàm maximus.

Is verò qui horum luminum conseruationi praeest, studeat omni pietate, & diligentia, vt lampades in suo lampadario diligenter aptatae, mundae à sordibus, & accensae die, noctuq; permaneant.

Cap. 5.

Cum autem in hoc Sacramento Christus ipse sumatur, mens gratia repleatur, & futurae gloriae nobis pignus detur, sitq; spiritualis animae cibus, panis Angelorum, & Antidotum peccatorum; curent Parochi, vt fideles omnes intelligant huius Sacramenti diuitias, vt ad vberrimos ex eo fructus percipiendos promptiores, & aptiores reddantur, discant verò laici, hoc praecipuum humilitatis, & reuerentiae signum huic Sanctissimo Sacramento exhibere, vt pauca, & cum paucis de ipso loquantur; subtiles disputationes fugiant, sintq; magis creduli, quam curiosi, & in diuinis rebus silentes potius, quam loquentes, admirantes, quam dispu-

diſputantes.

Cap. 6.

Et, ne fideles maledictionem pro benedictione accipiant, doceat Parochus populum ſuum, quomodo, & qua præparatione accedendum ſit ad Sacramentalem Euchariſtiæ perceptionem, perpetuiſq; ſuis monitionibus efficiat; vt ſacræ huic menſæ, caſto corpore, mundo corde, & ſecura conſcientia accedant omnes. Chriſtus enim corpus ſuum Diſcipulis non prius tradidit, quam eorum pedibus lotis, nam qui peccatis adhuc obnoxius ſanctiſsimum Sacramentum ſumit, & labijs, quibus meretricem eſt oſculatus, filium Dei oſculari non erubeſcit, tanquam nouus Iudas eſt cenſendus, nec purgatur, ſed grauatur, non eſt remedium, ſed venenum, ſicut enim (vt inquit Chriſoſtomus) Corporalis cibus ſi ventrē inueneri aduerſis humoribus occupatum amplius lædit, magiſq; nocet, & nullum præſtat auxilium, ita hic ſpiritualis cibus ſi aliquem reperit,

Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. de præpar. adhib.

C. quid ergo c. ſancta c. ſicut Iudas. & c. timorē de conſecr. diſt. 2.

ma-

malignitate pollutum, magis eum perdet, non sui natura, sed accipientis vitio.

Cum verò sanctè sumitur, malas comprimit cupiditates, reliquias peccatorum submouet; Animas sanat, & confirmat, mentes rerum supernarum desiderio accendit; ad resistendum Diabolo robur præstat; in fide constantiam, & in aduersis tollerantiam præbet.

Cap. 7.

Cum vnusquisq; saltem semel in anno Pascha tempore, in propria Parochiali Ecclesia Sacram Eucharistiam sumere teneatur, non est ferendus abusus, qui irrepsit, vt plures id præstare in propria Ecclesia vel erubescant, vel negligant, & Parochi absq; alia iusta causa eius rei facultatem facillimè concedant: Mandamus itaq; omnibus Diœcesis nostræ fidelibus, vt Ecclesiastico præcepto satisfacientes, per manus proprij Parochi, Sacram Eucharistiam sumant.

C. omnis vtriusq; sexus de pœn. & remiss. Conc. Later. sub Innoc. iij. cap. 21. Conc. Trid. sess. 13 de Sacram. Eucha. can. 9.

Parochis verò interdicimus sub pœna suspensio-

ſpenſionis arbitrio noſtro, ne alicui licentiam concedant ſumendi Euchariſtiam extrà Parochiam tempore paſchali, nobis enim id reſeruamus; qui raro, & ex graui tantum cauſa, licentiam huiuſmodi concedemus

Cap. 8.

Parochi quolibet anno vniuerſos, & ſingulos ſibi in curam traditos, qui ex præcepto Eccleſiæ in Paſcha Sacram Communionem ſumere tenentur, diligenter deſcribant, nec illam Paſchali tempore cuiquam miniſtrent, niſi qui ſibi, aut alio probato Confeſſario de eiuſdem Parochi licentia confeſſus fuerit, cuius rei ſcriptum afferat teſtimonium.

Quà verò ætate pueris, puellisq; ſacra Communio præbenda ſit, nemo melius ſcire poteſt, quam eorum parentes, & Sacerdos, qui Sacramentalem eorum Confeſſionem audiuerit, cuius iudicio ſtandum erit, id vnum conſiderent, noſtris his temporibus malitiam ætatis defectum ſupplere (ea tamen

men adhibita cautione) vt nunquam Sacra Euchariſtia adminiſtretur pueris minoribus decem annis. Seruet etiam Parochus, vt adoleſcentibus, qui prima vice Sacram Euchariſtiam ſumere voluerint, non prębeat (niſi illis prius diligenter examinatis) & de ui, ac dignitate Sacramenti accuratè inſtructis.

Cap. 9

Poſt Sacram Communionem, non ſtatim communes cibi ſumantur, ne corporalia alimenta ſacris miſceantur.

Cap. 10

Mulieres fucatę, & quę margaritas, monilia, capitis comas petulanter compoſitas, aliaue vana ornamenta deferre non erubeſcunt, ad cõmunionem nõ admittãtur, ſed modeſto veſtitu contentę, & velato capite, accedant, cum timore, & tremore. Viri quoq; accedant, absq; aliquo armorum genere, demiſſa facie, & humili geſtu.

Curet

Cap. 11

Curet etiam diligenter Parochus, vt viri à mulieribus, in recipienda Communione ità seiuncti sint, vt non solum sese contingere, sed ne quidem conspicere facilè possint, quare vel diuersis in locis, eos communicet, vel diuerso tempore, ità vt sibi inuicem viri, & mulieres in sumenda Eucharistia succedant.

Cap. 12

Aduenæ, peregrini, mendicantes, & qui certas non habent sedes, nec proprium domicilium, in nostra Cathedrali Ecclesia, si in vrbe sint, vel in alia Parochia, si in Diœcesi sacram sumant Eucharistiam, eorumq; nomina, cognomina, & Patriæ in libro ad id destinato, fideliter annotentur. Moneantur tamen omnes antè tempus Paschale, ut vnusquisq; ad suam Parochialem Ecclesiam reuertatur.

Cap. 13

Publici concubinarij, fœneratores, con-

iuges ſeparatim degentes, & alij publici peccatores, quamdiù in peccatis perſeuerant, ad Sacram Communionem non admittantur, ſcriptum eſt enim, Nolite ſanctum dare canibus; nec mittatis margaritas antè porcos.

Si tamen admiſſos ſub ſpe futuræ correctionis, adhuc tamen in eodem luto eos hærere cognitum erit, Parochi eos amplius non admittant, niſi poſtquam per manifeſta indicia perſpexerint, non ſolum peccandi occaſionem remouiſſe, verum etiam vitam, & mores emendaſſe.

Cap. 14.

Illos verò, qui propriæ ſalutis immemores, in peccatis inſordeſcentes, in Paſcha Sacram Euchariſtiam non ſumpſerint, Parochus poſt octauam Paſchæ ad nos, vel Vicarium noſtrum deferat, expoſitis etiam cauſis (dummodo eas in Confeſſione non cognouerit) cur abſtinuerint; Tertia verò Dominica poſt Paſcha, vnuſquiſq; paro-

chus

thus intra suam Parochialem Missam moneat omnes vnica monitione pro trina, vt qui pracepto Ecclesia non satisfecerint, saltem per totam hebdomadam subsequentem, confeßi Sacram Eucharistiam sumant (quo termino aßignato elapso) statim nulla alia data termini prorogatione, primo die festo nominatim omnes qui non communicauerint ingressu Ecclesia, & Ecclesiastica sepultura interdictos denunciet, cuius rei statim nos, vel Vicarium nostrum generalem certiorem faciat. C. omnis vtriusq; sexus de pœnit. & Rem.

Nomina veró eorum, qui in singulis parochijs interdicti fuerint, in nostra etiam Cathedrali Ecclesia denuncientur, & publicentur. si quis autem Pascha tempore abfuerit, cum primum redierit, parochus ab eo testimonium Confeßionis, & Communionis requirat, alioquin quousq; in propria parochia Sacram Eucharistiam non sumpserit, ab Ecclesia arceatur viuus, & mortuus careat ecclesiastica sepultura, & si

Parochus contrafecerit, pœnam suspensionis incurrat.

Excusabuntur tamen ij, qui de Parochi consilio communicare distulerint, dummodo Pentecostes solemnitatem non prætereant.

Cap. 15

Et si multa in vltima Synodo Auximana, & in nostra visitatione fuerint decreta, pro decenti Sanctissimi Sacramenti ad infirmos delatione, ne tamen videamur rem grauissimam sicco (vt aiunt) pede præteriisse, statuimus, vt quotiescunq; Sanctissimum Sacramentum ad infirmos erit deferendum, in nostra Ciuitate Auximana, facto prius aliquo signo Campanæ pro conuocandis confratribus Corporis Christi, quattuor Clerici Seminarij statim ad Ecclesiam à Rectore, siuè Præceptore transmittantur, qui superpellicijs induti, aperto capite deferant vmbellam, & vna cum Sacerdote Sacramentum deferente, alternatim per viam

Conc. Trid. sess. 13. c. 6.

reci

recitent Psalmos Pœnitentiales, & alias pias preces.

Sodales verò Sanctißimi Corporis Christi vehementer in Domino hortamur, vt iuxtà eorum institutum, diligentes, ac frequentes sint in hoc pio munere obeundo.

Cap. 16

Duæ ad infirmos deferantur Sacræ Eucharistiæ particulæ, quarum alteram sumat infirmus, alteram verò ad maiorem populi deuotionem, & ne inane vasculum adoretur, ad Ecclesiam reportetur, dummodo, Sacramentum de nocte, vel ad loca distantia, & accessu difficilia non sit deferendum, vel statim post communionem extrema vnctio adhibenda sit, tunc enim vna tantum particula deferatur.

Cap. 17

Infirmi domus, ad quam erit deferendum, sordibus omnibus mundata sit, & omni graui odore expurgata, thalamusq́, vbi æger in lecto iacet, piè ornabitur, & parabitur

rabitur mensa cum Cruce, candelabris, & candelis, & vase vitreo ad ablutionis vsum.

Quæ si à domesticis præstari non poßint, ob eorum paupertatem, fiant à sodalibus Sanctißimi Sacramenti.

Cap. 18.

Parochus, antequam Sacramentum deferat ad infirmum, illum visitet, videatq́; an in eo statu reperiatur, vt Sacramentum sumere poßit, cum enim à Pio V. recolendæ memoriæ vetitum sit, proposita suspensionis pœna, vt nulli cuiusuis gradus, & dignitatis existat, sacrum viaticum deferatur ad domum adorationis causa, sed tantum, vt pura mente, puraq́; conscientia sumatur, curet Parochus diligenter, ne deferat Sacramentum ad infirmum, qui illud sumere non poßit.

Cap. 19

Si verò adhibita diligentia prædicta, nihilominus cum ad infirmum ventum fuit ob

inua

inualescentem morbum, Sacram Eucharistiam sumere nequeat, Sacerdos pixide collocata super mensa, eo nomine parata, paulum moretur, & flexis genibus cum alijs qui adsunt, Deum sanctè deprecetur, postea cum Eucharistia Pixide inclusa, AEgroto benedicat, vel etiam (si id petierit, vel exoptauerit infirmus) Sacramentum aperta Pixide, eidem ostendat adorandum.

Cap. 20

Si quis in via, Sacerdoti deferenti Sacram Eucharistiam obuiam fit, si equo, vel mula vehitur, descendat, & tam ipse, quam cœteri omnes Clerici, & laici Sacerdotem deferentem, pia veneratione comitentur, non solum vsq; ad domum infirmi, sed etiam vsq; ad Ecclesiam

D. E

Constitutiones De Sanctissimo Missæ Sacrificio.

Cap. 1.

CVM in Missæ Sacrificio, opus nostræ salutis exerceatur, illiusq; cruentæ Hostiæ semel in Cruce oblatæ, per hoc incruentum sacrificium vberrimi fructus ad nos manent, eoq; Deus reddatur propitius, & placatus, maximè curandum est, vt singulari pietate, & religione celebretur.

Cap. 2.

Conc. Trid. sess. 22 c. 1. 2. & 3. cum pluribus sequentibus & iterum in eadem sess. in c. de obseruan. & euitan. in sacrif. missæ.

Sacerdotes igitur qui Sanctissimam Hostiam, Sacrificiorum omnium terminum, sunt imolaturi, vt puriores ad rem diuinam faciendam accedant, seruentq; præceptum Prophetæ dicentis, Mundamini qui fertis vasa Domini; Saltem semel in Hebdomada peccata sua confiteantur, nisi ob peccati mortalis reatum frequentius id facere opporteret, ne accedendo ad Altare

manibus

manibus pollutis, oculis impudicis, ore venenato, corde impuro, Christum iterum, (quantum in se est) crucifigant, Angelos sacrificio assistentes offendant, ac de singulari medicina sibi æternam damnationem acquirant.

Cap. 3.

Non temerè igitur, & imparati ad Altare accedant, sed prius parumper se colligentes, & orantes, meditentur quid sint acturi, deinde Missam perlegant, singulasq; eius partes signaculis accomodatis rectè disponant, vt postea non errent, neq; titubent cum populi scandalo, & derisione.

Cap. 4.

Sacris vestibus induti cum nemine colloquantur, nec colloquentibus præbeant aures, omnesq; eorum cogitationes in tanti misterij consideratione defigentes, caueant à qualibet mentis distractione. Vtq; cum interiori cordis munditia, & puritate, exterior etiam deuotionis, & pietatis habitus

coniungantur, Sacerdotes, ad altare Domini accedant oculis demissis, incessu graui, & cooperto capite; inter eundum neminem salutent, nec salutanti respondeant, idemq; in redeundo seruent.

Cap. 5.

Tanta est huius sacrificij maiestas, & dignitas, vt non immeritò Catholica Ecclesia plures pro illius maiori decore instituerit caeremonias, & sacros ritus valde insignes, & grauissimorum misteriorum plenos, vt per visibilia signa ad rerum altissimarum contemplationem, quae in ipso sacrificio latent, homines excitarentur. Mandamus itaq; omnibus Sacerdotibus per Ciuitatem, & Diœcesim nostram existentibus, vt in celebratione huius Sanctissimi Sacrificij (in quo illa Deo placens Hostia Iesus Christus in odorem suauitatis offertur) seruent ad vnguem caeremonias à S. R. Ecclesia institutas, quae rubricis generalibus in principio Missalis appositis continentur, omnia

 grauiter

grauiter, piè, & deuotè, exequi studeant, & ab omni indecoro, & absurdo Corporis motu abstineant.

Cap. 6.

Quæ palam pronuncianda sunt, distinctè, & clara voce dicant, nec verba proferant celerius, quam par est, vtq; audientium indeuotioni deseruiant, raptim omnia dicant: quæ verò secreta appellantur, secretè etiam pronuncient, eaq; veneratione, modestia, & grauitate omnia peragant, vt Deo grati, & audientibus placidi existant.

Ante auroram, vel post meridiem celebrare non liceat, sub pœna suspensionis.

Cap. 7.

Cooperto capite nullus celebret, etiam si sanitatis causa subbireto vteretur, sine nostra licentia.

Cap. 8.

Quilibet Sacerdos ab ea etiam caueat irreuerentia, vt biretum, subbiretum, sudariolum

riolum, vel quodcunq; aliud in Altare ponat, sed omnia prædicta ministro tribuat, qui honesto loco collocet, est enim mensa Dei viuentis.

Cap. 9.

Ornamenta, & instrumenta Altarium, pro Missarum celebratione, pura sint, ac munda, præsertim corporalia, & purificatoria. Vino albo tantum ad Missæ Sacrificium Sacerdotes vtantur. Hostias etiam adhibeant integras, & mundas, quæ à Sacerdotibus, vel Clericis omnino conficiantur, non autem à Laicis, præsertim mulieribus.

Cap. 10

Sacerdoti celebranti vnus saltem minister assistat; isq; Clericus, vbi commodè fieri poterit, talari veste, & superpellicio decenter indutus.

Cap. 11.

Candelas vendere, aut venales per Ecclesiam deferre nemini imposterum liceat,

cum id nihil aliud sit quam negotiari, vbi orare oportet, indeq́; praterea clamores sæpè oriantur, qui celebranti, & audienti Missam, magnum afferunt impedimentum: Poterunt tamen candelæ certo loco propè fores Ecclesiæ retineri, cum capsula ad recipiendas pecunias, quæ pro candelis dantur.

Cap. 12

Reperiuntur nonnulli ità se ipsos, & propria commoda amantes, vt Missam in Ecclesia Parochiali suo commodo, & qua hora ipsis magis placuerit celebrari velint.

Mandamus itaq; Parochis omnibus, vt Missam nullius gratia anticipent, aut differant, sed ea tantum hora celebrent, qua vniuerso populo, magis commoda erit, sub pœna suspensionis.

Caueant etiam Sacerdotes, ne postquam ad Altare accesserint, cuiusuis expectandi gratia, in mora sint, aut ob eandem causam, missam iam inchoatam repetant, sub

pœna

pœna arbitrio nostro imponenda.

Cap. 13

In Oratorijs Sodalitatum, alijsuè Ecclesijs, Oratorijs, & Cappellis intrà Parochialis Ecclesiæ fines existentibus; Missam in Dominicis, & alijs festis diebus, celebrare non liceat, nisi prius missa Parochiali absoluta, sub pœna suspensionis.

Cap. 14

Parochus cum intrà Missarum solemnia, à fidelibus oblationes recipit, non patenam, aut sacras Reliquias, offerentibus proponat osculandas, sed paruam Crucem, vel paruam Imaginem, quæ pacis nomine appellatur.

Eius autem oblationis accipiendæ causa, ab Altari paululum se remoueat, nõ autem per Ecclesiam vagetur.

Cap. 15

C. cum creatura, de celebrat. miss.

Missa conuentualis in Ecclesia Cathedrali, & Collegiatis nunquam omittatur, etiamsi eo die Missa pro defunctis, vel alia

Missa

Missa votiua celebranda sit.

Quibus vero diebus Ecclesiastico ritu praescribitur, vt duae Missae conuentuales celebrentur, id omnino praestetur, vt prima Missa post tertiam, secunda verò post nonam celebretur, & ambae hae Missae conuentuales decantentur, & nõ vna tantum; quod si Canonici in hoc negligentes fuerint, seuerè puniantur arbitrio nostro.

Cap. 16

Laudabilem consuetudinem, quae in nostra Cathedrali Ecclesia viget, vt in Missa maiori, Sanctissimi Sacramenti eleuatio, campanarum sono demonstretur, in omnibus collegiatis, & Parochialibus Ecclesijs Dioecesis nostrae seruari mandamus, vt fideles, qui in Ecclesia non adsunt, soni significatione admoniti, ad tam magni Misterij, & Beneficij recordationem, animum excitent.

Cap. 17

Parochi moneant frequenter patresfamilias

milias, vt filios, & seruos, quos in gregibus pascendis, alijsq; ruralibus negocijs occupant, saltem diebus festis Missæ interesse iubeant.

Conc. Trid. sess. 23. c. 16 de reformat.

Cap. 18

Viduæ, quæ ob maritorum mortem, diu domi inclusæ permanent, & ad Ecclesiam nõ accedunt, grauiter obiurgentur à Parochis; non enim cum Dei offensa, amissos viros deplorare debent. Mandamus igitur, vt in posterum nõ possint vltra mensem, à maritorum obitu computandum, sine Missæ auditione permanere, qua in re nulla valeat excusatio, sub prætextu cuiusuis consuetudinis, quam tanquam bonis moribus, Ecclesiasticisq; præceptis contrariam, abrogamus, & irritam declaramus.

Cap. 19

Sacerdos alienæ Diœcesis, nõ admittatur ad celebrandum, nisi ostendat testimoniales literas sui ordinarij, quæ tamen post annum datæ non suffragentur, nisi etiam afferat

scriptum

ſcriptum teſtimonium de vita, & moribus ab ijs Ordinarijs, in quorum Diœceſibus illo tempore permanſit.

Cap. 20

Sacerdotes etiam vagi, incogniti, & publici, ac notoriè crimininoſi, à Miſſæ Sacrificio arceantur.

Cap. 21

Sacriſtæ, & alij, ad quos id muneris ſpectabit nullum admittant ad celebrandum in eorum Eccleſijs, ſine veſte talari; poterit tamen diſpenſari, cum Sacerdotibus iter facientibus, vt admittantur cum veſtibus breuioribus.

Cap. 22.

Cum in Eccleſia, plures eodem tempore miſſæ erunt celebrandæ, id omnino præſtetur (ſi commodè fieri poterit) in Altaribus ità inter ſe diſtantibus, vt vnus Sacerdos ab altero non turbetur, nec audiatur, vel ſi id per Eccleſiæ anguſtiam, exequi nō poterit, ſaltem ſecunda Miſſa non emittatur,

nisi postquam in prima, Sanctissimum Sacramentum fuerit eleuatum.

Cap. 23

Caueat Sacerdos, ne inter Missarum solemnia, de rebus amissis, furto subtractis, aliove seculari negotio, sermonem habeat.

Cap. 24

Ad Sacerdotium imposterum promouendi, primam Missam celebrare non possint, nisi prius à Magistro Ceremoniarum nostræ Cathedralis Ecclesiæ super sacris ritibus, & ceremonijs in Missa obseruandis, fuerint examinati, & à nobis licentiam obtinuerint.

Cap. 25

Cum verò reperiantur nonnulli, qui post illorum promotionem ad Presbyteratum, plus æquo differant Missæ celebrationem, nō sine populi scandalo: Mandamus, vt omnes inposterum promouendi, infra tres menses à die promotionis computandos (obtenta prius licentia prædicta) Missam celebrent,

nisi

nisi iusto impedimento, & ex eorum culpa non prouenienti fuerint impediti, de quo nobis, vel Vicario nostro generali, fidem facere teneantur.

Cap. 26

Sacerdotes omnes Ciuitatis, & Diœcesis nostræ hortamur ad frequentem Missarum celebrationem, celebrentq́; saltem diebus Dominicis, & festis, iuxta Sacri Conc. Trid. decretum, nam vt venerabilis Beda testatur Sacerdos non legitimè impeditus, celebrare omittens, priuat, quantum in eo est, Sanctam Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio, & gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio; & se ipsum medicina, & remedio. Conc. Trid. sess. 23. c. 14 de Reforma.

Cap. 27

In Missæ noua celebratione, plures reperiuntur deprauatæ cõsuetudines, ambitionis, & auaritiæ speciem præseferentes. Prohibemus igitur sumptuosa conuiuia, im- Conc. Trid. sess. 22. de obser. & euitan. in celeb. missar. circa princ.

portunas, illiberalesq; eleemosinarum exactiones, tubarum, buccinarumq; sonitus, fistularum modulationes, omneq; aliud seculare oblectamentum à sanctitate rei, de qua agitur alienum, si quis autem in præmissis deliquerit, arbitrio nostro sit suspensus à diuinis.

Cap. 28.

In Nostra Cathedrali Ecclesia, alijsq; per Diœcesim constitutis, reperiuntur quam plura benefitia, fundata in diuersis Altaribus, cum onere celebrandi certũ Missarum numerum; & cùm in nostra visitatione beneficiatos, in onere suo persoluendo negligentes, aliosq; circa hoc abusus inuenerimus, & Cupientes (quãtum in Domino possumus) omnibus opportunè prouidere, mãdamus, vt beneficiati, per se, & nõ alij eorum nomine debitas Missas celebrẽt, nisi aliquo Ecclesiastico beneficio, quod residentiam requirat, vel aliter legitimè impediti sint, facultate etiam à nobis impetrata.

Nec

Nec obliuiſcantur beneficiati, quod ipſi manducant panem doloris, & quod, niſi oneribus, quæ ſuis beneficijs imminent, integrè ſatisfaciant, piasq; teſtatorum voluntates adimpleant, præter mortalis peccati labem, tenentur etiam ad fructuum malè perceptorum reſtitutionem.

Cap. 29

Nemini impoſterum, pro alio Miſſam celebrandi onus ſuſcipere liceat, abſq; noſtra vel Vicarij noſtri generalis licentia, qua in re maximè erit aduertendum, ne ab eodem Sacerdote plus oneris ſuſcipiatur, quam præſtare poſsit. Suſceptum verò celebrandi munus nō deſerat, & quatenus deſerere cogatur, præmoneat beneficiatum triginta ante diebus, vt alius Sacerdos conquiri poſſit, qui in eius locum ſuccedens, muneri debito ſatisfaciat.

Cap. 30

Et vt deinceps exploratum eſſe poſsit, an Miſſæ, quæ celebrari debent, verè celebrentur,

tur, liber in Sacrestia habeatur, in quo singuli, etiam Regulares, postquam Missam, siuè proprio, siuè alieno nomine celebrauerint, statim, nullaq; interposita mora propria manu scribant, quo die eam Missam celebrauerint, in quo Altari, & quo nomine.

Liber verò prædictus in fine cuiuslibet Mensis, per Sacristas ad Vicarium nostrum generalem, & in Diœcesi ad Vicarium foraneum deferatur, qui, facta diligenti recognitione, beneficiatos, & cappellanos, quos negligentes inuenerint ad fructuum, siuè mercedum restitutionem, pro rata Missarum omissarum compellant; ac præterea missas tempore debito non celebratas, repetere teneantur.

Cap. 91.

Quicunq; in certo Altari, ac certo Hebdomadæ die Missam celebrare debet, si in alio celebrauerit, oneri suo minimè satisfacit.

Cap. 32.

Et si æquum sit, os bouis triturantis non alligare, & eum qui altari seruit, de Altari viuere, tamen indecens visum est, & à tanti sacrificij dignitate alienum taxare eleemosinam, quæ pro qualibet Missa celebranti sit persoluenda. Mandamus itaq; vt quantulacunq; eleemosina pro celebratione vnius Missæ Sacerdoti offeratur, etiam si minor fuerit duobus illis minutis viduæ euangelicæ, eam Sacerdos, hilari animo accipiat, & Missam celebret.

De Sacramento Ordinis.

Cap. 1.

CVM manuum impositio solis Episcopis commissa sit, tanquam ostium per quod intrant, qui Ecclesiarum gubernaculis sunt præficiendi; maximè est Conc. Trid. sess. 23. c. 1. cum plurib. sequent.

inui

inuigilandum, ne nos qui ad aperiendam alijs ianuam Regni Cœlestis vocati sumus, ipsi eam nobis claudamus, & ob malam ministrorum electionem, cum Pastor Pastorum apparuerit, ab auditione mala timeamus, summa, itaq; ratione per quattuor anni tempora, quibus Sacramentum ordinis conferri solet; fuerunt in Ecclesia Dei instituta ieiunia, vt commune votum, communis etiam pracedat oratio, tanta enim est dignitas Sacramenti Ordinis, vt quodammodo, ex hominibus Deos faciat, omniaq; Sacramenta ab hoc vno ità pendeant, vt sine ipso partim confici, & administrari nequeant, partim solemnibus ceremonijs careant. Licet igitur Sacra Trid. Synodus, copiosè complexa sit omnem diligentiæ rationem, quæ in conferendis ordinibus est adhibenda, & nouißime Sanctißimus Pontifex, & nunquam satis laudatus Sixtus Quintus, cuius memoria benedictionibus repleatur, sua saluberrima constitutione contra

C. 3. de tēp. ord.

Cathec. Ro. de Sacr. ord.

malè pro

malè promotos, & contra Episcopos in ordinum collatione peccantes, plura addiderit, placuit tamen nonnulla ex locis praallegatis excerpta, ad fidelium nostrorum memoriam reuocare, cum in re tanti ponderis nulla repetitio superflua videatur.

Cap. 2.

Maximè refert quem sibi quisq; finem in omni actione constituat: igitur omnes, qui sacris ordinibus initiari volunt, hoc sibi proponant, vt non solum Dei gloriam, & salutem animarum in omnibus rebus quarant, sed etiam, vt Ecclesiastico ministerio, cui fuerint addicti, in iustitia, & sanctitate seruiant.

Caueant omnino, ne in suscipiendis ordinibus, aliquam partem habeat ambitio, vel auaritia, qui enim ad eam viuendi rationem se conuertunt, vt diuitijs affluant; & ad honores promoueantur, nihil amplius ex suo Sacerdotio consequuntur, quam Iudas ex Apostolatus munere, quod illi sempi-

ternum exitium attulit.

Cap. 3.

Cum meßis multa ſit, operarij autem pauci, illud vnusquisq; Parochus valde ſtudeat, vt quamplurimos ſuæ Parochiæ pueros, præſertim pauperes bonæ indole præditos in Eccleſiaſticæ vitæ præceptis erudiat, bonis moribus, et clericalibus functionibus inſtruat, & ad primam tonſuram promoueri curet. Eorum autem mores, ſtudia, & progreſſum nobis poſtea ſignificet, vt in ſeminarium cooptati, vel alia quacunq; via adiuti, ſtudijs grauioribus vacare queant, vitæq; innocentiam, cum doctrina coniungant.

Cap. 4.

Edictum Sacræ Ordinationis, ſaltem duobus menſibus antequam ordinum conferendorum tempus aduenat, publicè proponatur in valuis noſtræ Cathedralis Eccleſiæ. Parochi autem, tum Vrbani, tum Diœceſani hæc præſtent, vt edictum huiuſmodi feſto die infrà Miſſarum ſolemnia, populo promulgent

gent, omnesq́; moneant, vt Sacrum illud Ieiunij tempus religiosè colant, & pias apud Deum preces effundant, vt in vinea Domini operarij vtiles, ac digni assumantur

Cap. 5.

Nulli concedantur literæ dimissoriæ pro assumendis ordinibus extra nostram diœcesim, nisi ex causa necessaria, ipsoq́; prius diligenter examinato, et approbato. Conc. Trid. sess. 23. c. 3. de reform.

Cap. 6.

Ordinandorum examini (tanquam negocio omnium grauissimo) semper nos ipsi interesse curabimus, mãdamusq́; nostris Examinatoribus Synodalibus, ut in huiusmodi examine sint oculatissimi, nec humanis affectibus obsequãtur, sed Deo inseruiant, conscientiæ satisfaciant, religioni, Ecclesiæ utilitati, et animarum saluti consulant, præsertimq́; difficiles se præstent in illis approbandis, qui ad subdiaconatus ordinem sunt promouendi, cum illo ordine suscepto, non sit amplius pænitẽtiæ locus, nec regredi liceat:

si autem indignos approbauerint, nos illorum conscientiam, oneramus, & hæc examinis actio pia oratione inchoetur, & concludatur.

Cap. 7.

Conc. Trid. sess. 21. c. pr. de reform.

Quemadmodum nos gratis ordines conferimus, ità etiam præcipimus omnibus familiaribus, & ministris nostris sub excommunicationis pœna, ne aliquid ab ordinandis accipiant, etiam pro ordinis instrumento.

Conc. Trid. sess. 21. c. 1 vers. Notari vero.

Cancellarius autem nostræ Curiæ Episcopalis plus eo, quod in Concilio Trid. præfinitum est, & in tabella mercedum à nobis nuper reformata continetur, accipere non audeat, sub eadem excommunicationis pœna.

Cap. 8.

Conc. Trid. sess 23. c. 8. de reform.

Fiant semper ordinationes in nostra Cathedrali Ecclesia, præsentibus Canonicis, & vniuerso Clero, si vero in Diœcesi, quandoq; essent celebrandæ, fiant in digniori Ecclesia, Clero etiam illius Ecclesiæ præsente.

Boni-

Cap. 9.

Bonifatius viij. Episcopos illos, qui clericalem tonsuram illiterato, vel alias minus idoneo contulerint, per annum à collatione clericalis tonsuræ, suspensos declarat, & Sixtus V. in præallegata constitutione contrà malepromotos, addidit etiam pœnam pœcuniariam. Nos itàq; nè in præfatas pœnas incurramus, monemus omnes, & quoscunq; promouendos, ne ad Sacram Ordinationem accedant, nisi in ipsis concurrant omnia à Sacro Conc. Trid. requisita, quæ hic summatim referre placuit. C.fin.de tép. ordi. in 6. Conc. Trid. sess. 23. c. 4.

In primis igitur omnes, qui minoribus, vel Sacris Ordininibus initiari voluerint, conueniant in nostra Ciuitate Auximana feria quarta illius hebdomadæ, in quā Sacra ordinatio incidit.

Prima tonsura initiandi, deferant testimoniales literas de suis natalibus, aut ob natalium impedimentum, cùm ipsis dispensatum fuisse.

Quod

Quod sint Confirmati.

Prima fidei rudimenta calleant.

Legere, & scribere non ignorent.

Habeant etiam testimonium proprij Parochi, & Magistri scholæ, in qua educantur, de vita, & moribus, quodq́; spes sit, ipsos in Clericali disciplina permansuros, nec secularis iudicij vitandi causa, hoc vitæ genus elegisse, sed vt Deo fidelem exhibeant famulatũ, Si verò promouendus non sit noster Diœcesanus, vel decẽnali domicilio, aut alia ratione effectus Diœcesanus, afferat etiam dimissorias literas sui Episcopi, quæ non sint vetustiores tribus mensibus.

Cap. 10

Conc. Trid. sess. 23. c. 5. de reform.

Promouendi ad minores ordines, præter fidem Parochi, & Magistri scholæ, de qua supra, linguam etiam latinam benè intelligãt, in Doctrina Christiana sint optimè instructi, de prima tonsura, aut ordine, quem proximè susceperunt, authenticum deferant testimonium, ne contingat aliquos per saltum

pro

promoueri.

Cap. 11

Nullus etiam ad maiores ordines promouebitur nisi in Ecclesia, cuius seruitio in ipsa ordinatione, fuit ascriptus, prioris ordinis functiones exercuerit, cuius rei, à Rectore eiusdem Ecclesiæ scriptum afferat testimonium.

Cap. 12

Suscepturos verò Subdiaconatus ordinem hortamur in Domino vehementer, vt prius diligentißimè perpendant vitæ rationem, cui se illum ordinem suscipiendo astringunt: vtq; puriori mente, & ardentiori animi voluntate, ad rem tanti momenti accedant, confeßionem generalem faciant, & præteritæ vitæ rationes, cum Deo componãt, nouam enim, suscepto ordine incipiunt vitam. Præterea, promouendi ad maiores ordines afferant testimonium denuntiationum factarum in sua Parochiali Ecclesia, iuxta formam Sacri Conc. Trid. AEtatem

Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 12 de reform.

tem etiam ab eodem Concilio præſcriptam, legitimè probent. videlicet. Si ad Subdiaconatum viginti duos; ad Diaconatum viginti tres; & vigintiquinque annos attigiſſe, ſi ad Præsbyteratum ſunt promouendi; qua in re maxima adhibeatur cautio, cum frequenter in hoc peccari contingat. Sciant autem omnes promoti antè legitimam ætatem, ſe ipſo iure ab executione Suorum Ordinum eſſe ſuſpenſos, ex Pij Secundi conſtitutione, qua ſuſpenſione durante, ſi in ſuſceptis ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrent.

Pius ij. in cõſtitutione de pœnis eorum qui minus canonicè faciũt ſe promoueri ad ſacros ordines, de qua in bullario fol. 79.

Habeant etiam Eccleſiaſticum beneficium, vel patrimonium ſufficiens ad commodam vitæ ſubſtentationem, ne poſtea cum ſuſcepti ordinis dedecore, mendicare cogantur.

Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. de reform.

Nullus ad titulum ſeminarij, vel illius beneficij, penſionis, aut cenſus promoueatur, qui ei ad victum non ſit ſatis, temporum, locorum, & perſonarũ, conſiderata qualitate.

Et quia

Et quia in instrumentis donationum, quæ ordinandis fieri solent, fraus, & simulatio plerumq; solet interuenire, mandamus, vt in posterum instrumenta prædicta, conficiantur solummodo à nostro Notario Episcopali, & in Diœcesi à Notarijs Vicariorũ foraneorum, qui de præfatis donationibus non rogentur, nisi prius bene cognita, bonorum donatorum quantitate, & qualitate.

Ordinandi verò, iurent bona donata se nunquã donantibus retrocessuros, vel quouis pacto alienaturos, absq; nostra licentia quo ad Beneficium Ecclesiasticum ad uitæ substentationem sufficiens, obtinuerint. Conc. Trid. sess. 21 c. 2. de reformat. in fine.

Cap. 13.

In ordinandis Regularibus, accurata adhibeatur diligentia, & præter literas testimoniales suorum Superiorum de vita, moribus, doctrina, ætate, & functionibus præstitis; quæ literæ bimestri tempore non sint vetustiores, aduertatur etiam diligenter ab examinatoribus, an habeant fidem ordinis

proximè susceptі, an loco tituli regularem emiserint professionem, an legitimam habeant ætatem.

Diligens quoq; dictorum Regularium habeatur examen, nec in hoc superiorum testimonio credatur, examineturq; de doctrina, cantus peritia, de functionibus ad ordinem pertinētibus, de vsu, & ratione recitandi diuinum officium, ac etiam missam celebrandi, si ad Sacerdotium erunt promouendi.

Cap. 14.

In ipsa Ordinationis die, postquam ordinandi omnes in Ecclesia conuenerint, suisq; locis fuerint dispositi, legatur per nostrum Cancellarium Episcopalem bulla Pij secundi contra ordinatos antè legitimam ætatem, nec nō sæpius allegata constitutio, recolendæ memoriæ Sixti Quinti contrà malè promotos, & contra Episcopos in ordinum collatione peccantes.

Absoluta

Cap. 15.

Absoluta demum ordinatione fiat Processio per Ciuitatem, & ordinati omnes concordi voce cantent Hymnum Te Deum laudamus.

Cap. 16

Vt autem summaria habeatur notitia illorum, qui ex dispositione Sacrorum Canonum ad ordines promoueri non possunt, non inutile visum fuit, eos omnes hic ordinatè enummerare. Sunt autem infrascripti.

Minores natu.
Criminosi.
Ebriosi.
Vsurij manifesti. usurary
Serui.
Illegitimi nati.
Irregulares quouis alio modo.
Excommunicati.
Energumeni.

Nō Confirmati.
Solemniter pœnitentes.
Impudici.
Infames.
Corpore vitiati.
Insigniter deformes.
Rudes, & ignari.
Neophiti.

Lapsi post ordinem susceptum.
Ratiocinijs obligati.
Bigami.
Suspensi, & interdicti.
Amentes.
Comitiali morbo laborantes.
Peregrini, & ignoti.

De Sacramento Matrimonii.

Cap. I.

MAtrimonij Sacramentum à Deo in ipso nascentis mundi exordio, & in Paradiso institutum, ac deinde in Nouo Testamento Christi præsentia decoratum, piam, ac religiosam requirit animi præparationem. Parochi igitur graui cohortatione eos, qui matrimonium inituri sunt, monebunt, quomodo illud sanctè contrahendum sit, & queadmodum in eo castè, pieq; versandum, & quo præterea modo

Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de reformat. matr.

sanctè

sanctè moriendum sit, in hocq; eo maiorem adhibebunt diligentiam, quo magis vident homines in eo grauiter peccare, quod sanctè inire deberent, & brutorum more solaquè concupiscientia carnis ductos, id efficere.

Cap. 2.

Curabunt itaq; in primis, vt sponsi, & sponsa antè quam Matrimonium contrahant, orationibus, alijsq; pijs operibus se parent; & saltem triduo antè consumationem Matrimonij, peccata confiteantur, & Sacram sumant Eucharistiam, vt hoc sancto agendi initio, mutua postmodum charitate; & continua pace viuant, & tria Matrimonij bona subsequantur, Videlicet Fides, Proles, & Sacramentum. Conc. Trid. in d. c. 1. in fine.

Cap. 3.

Denunciationes à Sacro Trid. Concilio requisita nunquam omittantur, nisi de licentia nostra in scriptis obtenta, quam tamen raro concedemus, & non nisi ex ma-

gna

gna causa.

Cap. 4

Denunciationes huiusmodi, nō prius fiant quam vir, & mulier, vel eorum parentes, aut alij, qui sponsi, & sponsæ curam gerunt, id postulauerint, & non ad aliorum instantiam; Caueantq́; Parochi, ne in hoc sint nimis creduli, sed per se ipsos etiam interrogent sponsos, an denunciationes fieri velint.

Cap. 5.

Fiant denuntiationes omninò in diebus festis, nō autem ferialibus, licet enim possint aliquæ denunciationes remitti, diebus tamen ferialibus, nunquam fieri debet, prout declarauit Sacra Cōgregatio Illustriss. & Reuer. Cardinalium Interpratum Conc. Trid. Poterunt tamen dictæ denunciationes fieri etiam ijs diebus festis, qui non ex vniuersali Ecclesiæ præcepto, sed ex particulari locorum consuetudine sanctificantur.

Cap. 6.

Si sponsi habitent in diuersis Parochijs,

de

denunciationes fiant ab vtroq; Parocho, sponsi autem in matrimonium coniungantur à Parocho sponsæ, qui nõ prius id faciat, quam ab alio Parocho, de factis debitis denuntiationibus fidem habeat, & quod nullum fuit detectum impedimentum.

Cap. 7.

Cum verò sponsi fuerint alterius Diœcesis, Matrimonium nõ prius celebretur, quam exhibeatur fides Parochi illius Diœcesis, ordinarij etiam testimonio comprobata.

Cap 8.

Matrimonium nunquam contrahatur eo die, quo vltima denunciatio facta est, nisi de nostra licentia, vel nisi illa postrema denunciatio facta esset pridie illius diei, quo initium est Quadragesimæ, vel Aduentus, vel nisi Parochus in præcedenti denunciatione significasset, die postremæ denunciationis contrahendum esse matrimonium.

Si dum

Cap. 9.

Si dum fiunt denunciationes, aliquod impedimentum proponatur, quamuis falsum videatur, & dolosum, nō tamen ad alias denunciationes, vel etiam ad matrimonij celebrationem deueniatur, nisi licentia nostra accedente.

Cap. 10.

Qui aliquod falsum impedimentum detulerit, quo futurum matrimonium impediat, præter alias Iuris pœnas, excommunicationem etiam incurrat, quas etiam pœnas ille subeat, qui quouis prætextu aliquid egerit, vel iusserit, quo matrimonij libertas, aliquo modo directè, vel indirectè, impediatur, Sacro Concilio Tridentino, ità disponente.

Conc. Trid. sess. 24. de reform. matri. c. 9.

Cap. 11

Si contingat aliquando permissu nostro matrimonium celebrari, omißis debitis denunciationibus, eadem denunciationes post contractum matrimonium, sed ante carnalem

lem

lem copulam omnino fiant, nisi aliquo casu nos censuerimus esse omittendas.

Cap. 12.

Parochi, qui sine nostra licentia aliquas, vel vnam tantum, denuntiationes omiserint, incurrant ipso facto suspensionis sententiam.

Cap. 13.

Matrimonia per mutuum, & legitimum consensum coram Parocho, & testibus quocunq; tempore etiam Aduentus, & Quadragesimæ celebrari possunt, sed prædicto tempore Aduentus, & Quadragesimæ prohibentur solummodo solemnitates Nuptiarum, conuiuia, traductio ad domum, benedictio Sacerdotalis, & copula carnalis,, quod vt seruetur, curabunt Parochi diligenter, & inobedientibus ingressum Ecclesiæ prohibeant.

Conc. Trid. sess. 24. de reform. matri. c. 10. & ità declarauit sacra Congre. quę interpretationi eiusdem Conc. Trid. est præposita.

Cap. 14

Vagantium, & Ignotorum hominum Matrimonia non admittantur, nisi facta

Conc. Trid. sess. 24. c. 7. de reformat. matrim.

Z *prius*

prius diligentissima inuestigatione, & re tota ad nos delata, nostraque expectata licentia.

Cap. 15.

Matrimonia celebrentur à Parochis in dutis cotta, & stola in Ecclesia Parochiali, & de mane, non autem post prandium nisi nos alio tempore, vel loco fieri concesserimus, quod tamen raro est concedendum conuenit enim Sacramenta omnia in Ecclesia ministrari.

Cap. 16

Parochi nō coniungant in Matrimonium eos, qui prima fidei rudimenta ignorant, Videlicet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & præcepta Decalogi, nec etiam permittant coniuges ante Sacerdotalem benedictionem in Ecclesia susceptam in eadem domo cohabitare, vel matrimonium consumare, graui pœna ijs, qui contrafecerint, proposita.

Cap. 17

Secundæ Nuptiæ à Parochis non benedicantur, si tamen fuerint secundæ ex parte vtriusq; vel saltem mulier tantum benedicta fuerit, quo casu benedictio non est repetenda. Si verò Nuptiæ fuerint secundæ ex parte viri tantum, non autem mulieris, fiat benedictio mulieris.

Cap. 18

Si Parochus alienæ Parochiæ sponsos matrimonio iungere, aut benedicere ausus fuerit sine licentia proprij Parochi, aut nostra, suspensionis pœnam ipso facto incurrisse sciat ex Conc. Trid. decreto.

Cap. 19

Quamuis pro validitate Matrimonij consensus parentum nõ requiratur, cum tamen ex huiusmodi Matrimonijs, quæ inuitis Parentibus fiunt, multa scandala exoriri soleant, mandamus, vt nullus Parochus eos, quos sciuerint inuitis parentibus matrimonium velle contrahere, matrimo-

nio coniungat, sed ea de re nos reddat certiores, vt quid sit agendum, maturè possimus deliberare.

Cap. 20.

Parochi sæpe moneant populum sibi commissum, vt à clandestinis matrimonijs abstineat, & bis, aut sæpius in annum decretum Conc. Trid. de clandestinis matrimonijs inter missarum solemnia populo publicent, vtq́; ab omnibus melius intelligatur, in vulgarem sermonem transferri, & in calce harum constitutionum imprimi iussimus.

Doceantq́; præsertim mulierculas, quam grauiter peccent contrahendo matrimonia clandestina, & quod viris aliquid secretè pollicentibus fidem non adhibeant, cum illi (subtracta virginitate) negent postmodum se aliquid promisisse, ipsaq́; ex sua credulitate maxima patiantur incommoda, omnibusq́; contemptibiles habeantur.

Cap. 21.

Sponsalibus etiam per verba de futuro inter

ter aliquos contractis non liceat ſponſo ſuam ſponſam inuitam relinquere, & cum alia contrahere, niſi prius à nobis dictorum ſponſaliorum diſſolutio petita, & obtenta fuerit, quam (rationabili cauſa exiſtente) non denegabimus.

Cap. 22.

Vt multis, quæ hominum vitio in nuptijs celebrandis irrepſerunt abuſibus, & corruptelis quoad fieri poteſt occurratur, decernimus, vt veneficia, faſcinationeſue ad nuptias, & Matrimonia impedienda adhibentes, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam ſubeant.

Cap. 23.

Matrimonij ſeparatio quoad Thorum, vel cohabitationẽ ad certum, vel incertum tempus nũquam concedatur, niſi ex grauiſſimis cauſis à nobis cognoſcendis, & comprobandis. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de ſacram. matri. can. 8.

Nec huiuſmodi Sacramenti vinculum, quod poſt illius conſumationem morte tantum Conc. Trid. ſeſſ. 24. in

tum

princ. de sacram. matri. can 5. c. de illa cum seq. de diuer. c. de infidelib. de conf. & affinit.

tum solui potest, vnquam dissoluatur propter adulterium alterius coniugum, nec propter hæresim, nec propter consuetudinem molestam, aut affectatam à coniuge absentiam.

Cap. 24

Conc. Trid. in d. sess. 24. c. 1. de refo. matr. in fine.

Matrimonia omnia à Parochis in certum librum ordinatè referantur, iuxta formam à nobis in visitatione præscriptam.

De Sacramento Extremæ Vnctionis

Cap. 1.

Conc. Trid. sess. 14. de sacram. extre. vnct.

PRæter alia pietatis officia, quæ Parochi plebi sibi commissæ præstare tenentur, id etiam non omittant, vt ægrotos suæ Parochiæ sæpe visitent, & tanquam spirituales Animarum medici salutaribus Sacramentorum medicinis animas ab omni languore curare studeant, illudq; præcipue

pue opportunis cohortationibus curent, vt Sacramentum Extremæ vnctionis, cum vitæ periculum imminet, non solum libenti animo suscipiant, sed magna etiam fide, ac voluntate sibi ministrari petant, tanquam efficax remedium animæ, & corporis, quando ægrotorum saluti magis expediat, & quamuis cætera Sacramenta pertineāt ad ingressum, & progressum in Ecclesia, istud verò ad egressum ab Ecclesia, cum clementissimus Redemptor noster, nos & in vita, & in morte, Sacramentorum præsidijs munire voluerit; Curandum est tamen, vt extrema vnctio ministretur ægrotis, dum adhuc mente, & ratione vigent, nec differatur ad illud tempus, cum iam omni salutis spe amissa vita, & sensibus propemodum careant. Constat enim ad vberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si ægrotus Sacro Oleo liniatur, cum fidem, & religiosam animi sui voluntatem afferre potest.

Abb. in c. 1. de Sacr. vnct. Conc. Trid. sess. 14. de sacram. extre. vnct. c. 3.

Iac. 5. c. presbiteros 95. destinct.

Defe

Cap. 2.

Deferatur hoc Sacramentum à proprio Parocho superpellicio, & stola violacea induto Cruce vasculo aqua benedicta præcedente. Si tamen mortis periculum immineret, & proprius infirmi Parochus esset impeditus, vel in mora existeret, alius Sacerdos poterit ministrare, etiam sine licentia.

Cap. 3

Vasculum Sacri Olei collocetur in bursa serica ad huiusmodi vsum ex decreto nostræ visitationis confecta, cum funiculis à collo Sacerdotis pendentibus, sic enim decentius, & tutius deferetur.

Cap. 4

Ad Sacrum hoc ministerium qualibet etiam noctis hora se paratos exhibeant Parochi, & non solum ire nõ recusent, sed nec vllã dent significationem, se non libenter ad illud debitum charitatis officium præstandum accedere, si quis secus fecerit, graui plectatur pœna arbitrio nostro.

In hoc

Cap. v.

In hoc ſacramento adminiſtrando curent Parochi illius uim, atq; vtilitatem explicare, & cum Infirmis in articulo mortis exiſtentibus eo maiori vtantur diligentia, quo maius imminet periculum, tentator enim eo formidabili tempore omnes verſutiæ ſuæ intendit neruos, & calcaneo noſtro inſidiatur.

Cap. 5.

Si, dum ſacra vnctio miniſtratur, Infirmus expirauerit, vngere Parochus deſiſtat, ſi verò dubium ſit, an viuat adhuc, vel iam deceſſerit, ea forma vtatur. Si es viuus, per iſtam ſanctam vnctionem indulgeat tibi Deus &c. moneatq; interim aſtantes omnes, vt pro ſalute Animæ, & corporis ipſius ægroti pias coram Deo effundant preces.

Cap. 6.

In eadem ægrotatione nemo bis vngatur niſi tamen conualuiſſet, & iterum in vitæ

 diſcri

Lapsi post ordinem susceptum.	*Amentes.*
Ratiociniys obligati.	*Comitiali morbo laborantes.*
Bigami.	*Peregrini, & ignoti.*
Suspensi, & interdicti.	

De Sacramento Matrimonii.

Cap. 1.

MAtrimonij Sacramentum à Deo in ipso nascentis mundi exordio, & in Paradiso institutum, ac deinde in Nouo Testamento Christi præsentia decoratum, piam, ac religiosam requirit animi præparationem. Parochi igitur graui cohortatione eos, qui matrimonium inituri sunt, monebunt, quomodo illud sanctè contrahendum sit, & quemadmodum in eo castè, pieq́; versandum, & quo præterea modo sanctè

Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de reformat. matr.

sanctè moriendum sit, in hocq; eo maiorem adhibebunt diligentiam, quo magis vident homines in eo grauiter peccare, quod sanctè inire deberent, & brutorum more solaquè concupiscientia carnis ductos, id efficere.

Cap. 2.

Curabunt itaq; in primis, vt sponsi, & sponsæ antè quam Matrimonium contrahant, orationibus, alijsq; pijs operibus se parent, & saltem triduo antè consumationem Matrimonij, peccata confiteantur, & Sacram sumant Eucharistiam, vt hoc sancto agendi initio, mutua postmodum charitate, & continua pace viuant, & tria Matrimonij bona subsequantur, Videlicet Fides, Proles, & Sacramentum. Conc. Trid. in d. c. 1. in fine.

Cap. 3.

Denunciationes à Sacro Trid. Concilio requisitæ nunquam omittantur, nisi de licentia nostra in scriptis obtenta, quam tamen raro concedemus, & non nisi ex magna

gna causa.

Cap. 4

Denunciationes huiusmodi, nō prius fiant quam vir, & mulier, vel eorum parentes, aut alij, qui sponsi, & sponsæ curam gerunt, id postulauerint, & non ad aliorum instantiam; Caueantq; Parochi, ne in hoc sint nimis creduli, sed per se ipsos etiam interrogent sponsos, an denunciationes fieri velint.

Cap. 5

Fiant denuntiationes omninò in diebus festis, nō autem ferialibus, licet enim possint aliquæ denunciationes remitti, diebus tamen ferialibus, nunquam fieri debēt, prout declarauit Sacra Cōgregatio Illustriss. & Reuer. Cardinalium Interpratum Conc. Trid. Poterunt tamen dictæ denunciationes fieri etiam ijs diebus festis, qui non ex vniuersali Ecclesiæ præcepto, sed ex particulari locorum consuetudine sanctificantur.

Cap. 6.

Si sponsi habitent in diuersis Parochijs,

de

denunciationes fiant ab vtroq; Parocho, sponsi autem in matrimonium coniungantur à Parocho sponsæ, qui nō prius id faciat, quam ab alio Parocho, de factis debitis denuntiationibus fidem habeat, & quod nullum fuit detectum impedimentum.

Cap. 7.

Cum verò sponsi fuerint alterius Diœcesis, Matrimonium nō prius celebretur, quam exhibeatur fides Parochi illius Diœcesis, ordinarij etiam testimonio comprobata.

Cap 8.

Matrimonium nunquam contrahatur eo die, quo vltima denunciatio facta est, nisi de nostra licentia, vel nisi illa postrema denunciatio facta esset pridie illius diei, quo initium est Quadragesima, vel Aduentus, vel nisi Parochus in præcedenti denunciatione significasset, die postrema denunciationis contrahendum esse matrimonium.

Si dum

Cap. 9.

Si dum fiunt denunciationes, aliquod impedimentum proponatur, quamuis falsum videatur, & dolosum, nō tamen ad alias denunciationes, vel etiam ad matrimonij celebrationem deueniatur, nisi licentia nostra accedente.

Cap. 10

Qui aliquod falsum impedimentum detulerit, quo futurum matrimonium impediat, præter alias Iuris pœnas, excommunicationem etiam incurrat, quas etiam pœnas ille subeat, qui quouis prætextu aliquid egerit, vel iusserit, quo matrimonij libertas, aliquo modo directè, vel indirectè impediatur, Sacro Concilio Tridentino, ità disponente.

Conc. Trid. sess. 24. de reform. matri. c. 9.

Cap. 11

Si contingat aliquando permissu nostro matrimonium celebrari, omissis debitis denunciationibus; eadem denunciationes post contractum matrimonium, sed ante carnalem

lem

lem copulam omnino fiant, nisi aliquo casu nos censuerimus esse omittendas.

Cap. 12.

Parochi, qui sine nostra licentia aliquas, vel unam tantum, denuntiationes omiserint, incurrant ipso facto suspensionis sententiam.

Cap. 13.

Matrimonia per mutuum, & legitimum consensum coram Parocho, & testibus quocunq; tempore etiam Aduentus, & Quadragesimæ celebrari possunt, sed prædicto tempore Aduentus, & Quadragesimæ prohibentur solummodo solemnitates Nuptiarum, conuiuia, traductio ad domum, benedictio Sacerdotalis, & copula carnalis,, quod vt seruetur, curabunt Parochi diligenter, & inobedientibus ingressum Ecclesiæ prohibeant.

Conc. Trid. sess. 24. de reform. matri. c. 10. & ità declarauit sacra Congre. quę interpretationi eiusdem Conc. Trid. est præposita.

Cap. 14

Vagantium, & Ignotorum hominum Matrimonia non admittantur, nisi facta

Conc. Trid. sess. 24. c. 7. de reformat. matrim.

prius diligentissima inuestigatione, & re tota ad nos delata, nostraque expectata licentia.

Cap. 15.

Matrimonia celebrentur à Parochis in dutis cotta, & stola in Ecclesia Parochiali, & de mane, non autem post prandium nisi nos alio tempore, vel loco fieri concesserimus, quod tamen rarò est concedendum conuenit enim Sacramenta omnia in Ecclesia ministrari.

Cap. 16

Parochi nō coniungant in Matrimonium eos, qui prima fidei rudimenta ignorant, Videlicet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & præcepta Decalogi, nec etiam permittant coniuges ante Sacerdotalem benedictionem in Ecclesia susceptam in eadem domo cohabitare, vel matrimonium consumare, graui pœna ijs, qui contrafecerint, proposita.

Cap. 17

Secundæ Nuptiæ à Parochis non benedicantur, si tamen fuerint secundæ ex parte vtriusq; vel saltem mulier tantum benedicta fuerit, quo casu benedictio non est repetenda. Si verò Nuptiæ fuerint secundæ ex parte viri tantum, non autem mulieris, fiat benedictio mulieris.

Cap. 18

Si Parochus alienæ Parochiæ sponsos matrimonio iungere, aut benedicere ausus fuerit sine licentia proprij Parochi, aut nostra, suspensionis pœnam ipso facto incurrisse sciat ex Conc. Trid. decreto.

Cap. 19

Quamuis pro validitate Matrimonij consensus parentum nõ requiratur, cum tamen ex huiusmodi Matrimonijs, quæ inuitis Parentibus fiunt, multa scandala exoriri soleant, mandamus, vt nullus Parochus eos, quos sciuerint inuitis parentibus matrimonium velle contrahere, matrimo-

nio coniungat, sed ea de re nos reddat certiores, vt quid sit agendum, maturè possimus deliberare.

Cap. 20.

Parochi sæpe moneant populum sibi commissum, vt à clandestinis matrimonijs abstineat, & bis, aut sæpius in annum decretum Conc. Trid. de clandestinis matrimonijs inter missarum solemnia populo publicent, vtq; ab omnibus melius intelligatur, in vulgarem sermonem transferri, & in calce harum constitutionum imprimi iussimus.

Doceantq; præsertim mulierculas, quam grauiter peccent contrahendo matrimonia clandestina, & quod viris aliquid secretè pollicentibus fidem non adhibeant, cum illi (subtracta virginitate) negent postmodum se aliquid promisisse, ipsaq; ex sua credulitate maxima patiantur incommoda, omnibusq; contemptibiles habeantur.

Cap. 21.

Sponsalibus etiam per verba de futuro inter

ter aliquos contractis non liceat sponso suam sponsam inuitam relinquere, & cum alia contrahere, nisi prius à nobis dictorum sponsaliorum dissolutio petita, & obtenta fuerit, quam (rationabili causa existente) non denegabimus.

Cap. 22.

Vt multis, quæ hominum vitio in nuptijs celebrandis irrepserunt abusibus, & corruptelis quoad fieri potest occurratur, decernimus, vt veneficia, fascinationesue ad nuptias, & Matrimonia impedienda adhibentes, excommunicationis latæ sententiæ pœnam subeant.

Cap. 23.

Matrimonij separatio quoad Thorum, vel cohabitationẽ ad certum, vel incertum tempus nũquam concedatur, nisi ex grauißimis causis à nobis cognoscendis, & comprobandis. Conc. Trid. sess. 24. de sacram. matri. can. 8.

Nec huiusmodi Sacramenti vinculum, quod post illius consumationem morte tantum Conc. Trid. sess. 24. in

princ. de sacram. matri. can 5. c. de illa cum seq. de diuer. c. de infidelib. de conf. & affinit.

tum solui potest, vnquam dissoluatur propter adulterium alterius coniugum, nec propter hæresim, nec propter consuetudinem molestam, aut affectatam à coniuge absentiam.

Cap. 24.

Conc. Trid. in d. sess. 24. c. 1. de refo. matr. in fine.

Matrimonia omnia à Parochis in certum librum ordinatè referantur, iuxta formam à nobis in visitatione præscriptam.

De Sacramento Extremæ Vnctionis

Cap. 1.

Conc. Trid. sess. 14. de sacram. extre. vnct.

P*Ræter alia pietatis officia, quæ Parochi plebi sibi commissæ præstare tenentur, id etiam non omittant, vt ægrotos suæ Parochiæ sæpe visitent, & tanquam spirituales Animarum medici salutaribus Sacramentorum medicinis animas ab omni languore curare studeant, illudq; præci-*

pue

pue opportunis cohortationibus curent, vt Sacramentum Extremæ vnctionis, cum vitæ periculum imminet, non solum libenti animo suscipiant, sed magna etiam fide, ac voluntate sibi ministrari petant, tanquam efficax remedium animæ, & corporis, quando ægrotorum saluti magis expediat, & quamuis cætera Sacramenta pertineãt ad ingressum, & progressum in Ecclesia, istud verò ad egressum ab Ecclesia, cum clementissimus Redemptor noster, nos & in vita, & in morte, Sacramentorum præsidijs munire voluerit; Curandum est tamen, vt extrema vnctio ministretur ægrotis, dum adhuc mente, & ratione vigent, nec differatur ad illud tempus, cum iam omni salutis spe amissa vita, & sensibus propemodum careant. Constat enim ad vberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si ægrotus Sacro Oleo liniatur, cum fidem, & religiosam animi sui voluntatem afferre potest.

Abb. in c. 1. de Sacr. vnct. Conc. Trid. sess. 14. de sacram. extre. vnct. c. 3.

Iac. 5. c. presbiteros 95. destinct.

Defe

Cap. 2.

Deferatur hoc Sacramentum à proprio Parocho superpellicio, & stola violacea induto Cruce vasculo aqua benedicta praecedente. Si tamen mortis periculum immineret, & proprius infirmi Parochus esset impeditus, vel in mora existeret, alius Sacerdos poterit ministrare, etiam sine licentia.

Cap. 3

Vasculum Sacri Olei collocetur in bursa serica ad huiusmodi vsum ex decreto nostrae visitationis confecta, cum funiculis à collo Sacerdotis pendentibus, sic enim decentius, & tutius deferetur.

Cap. 4

Ad Sacrum hoc ministerium qualibet etiam noctis hora se paratos exhibeant Parochi, & non solum ire nō recusent, sed nec vllā dent significationem, se non libenter ad illud debitum charitatis officium praestandum accedere, si quis secus fecerit, graui plectatur poena arbitrio nostro.

In hoc

Cap. v.

In hoc ſacramento adminiſtrando curent Parochi illius uim, atq; vtilitatem explicare, & cum Infirmis in articulo mortis exiſtentibus eo maiori vtantur diligentia, quo maius imminet periculum, tentator enim eo formidabili tempore omnes verſutiæ ſuæ intendit neruos, & calcaneo noſtro inſidiatur.

Cap. 5.

Si, dum ſacra vnctio miniſtratur, Infirmus expirauerit, vngere Parochus deſiſtat, ſi verò dubium ſit, an viuat adhuc, vel iam deceſſerit, ea forma vtatur. Si es viuus, per iſtam ſanctam vnctionem indulgeat tibi Deus &c. moneatq; interim aſtantes omnes, vt pro ſalute Animæ, & corporis ipſius ægroti pias coram Deo effundant preces.

Cap. 6.

In eadem ægrotatione nemo bis vngatur niſi tamen conualuiſſet, & iterum in vitæ

Aa *diſcri*

descrimen incidisset, licet enim huiusmodi Sacramentum possit reiterari, non tamen debet frequentari.

Cap. 7.

Si per errorem aliud oleum, quam infirmorum adhibitum sit, puta Chrismatis, vel Cathecumenorum, vnctio cum oleo infirmorum iteretur, & forma repetatur.

Cap. 8.

Pueris, qui rationis vsu carent, & qui nondum Sacram Eucharistiam sumpserunt, nec aliqua peccata admiserunt, Sacra Vnctio non ministretur, cum in eis non adsint reliquiæ peccatorum, quæ Sacramento isto deleantur.

Cap. 9.

Amentes, & furiosi, qui aliquandò dilucida habuerint interualla, & eo tempore piam animi significationem dederint, si postmodum furor superueniat, Sacro Oleo inungi poterunt.

Illis verò furiosis, qui nunquam habuerint

rint dilucida interualla, huiusmodi Sacramentum minimè conferatur, esset enim mendacium dicere, Dimittat tibi Deus, quod deliquisti &c. cum nunquam deliquerint.

Cap. 10.

Mulieribus in partu laborantibus, nauigantibus, peregrinantibus, ad bellum proficiscentibus, & his qui vltimo supplicio sunt afficiendi, quibus mors ex defectu naturæ non imminet, Sacramentum Extremæ vnctionis non administretur.

Scot. in 4. sent. dist. 23 Archiep. Florent. in sum. eiusdem tit. vers. Quibus debeat dari. Nic. Plo. in suo tract. de Sacram. in 5 par. c. 1.

Poterit tamen ministrari decrepitis, & senio confectis, etiam non ægrotis, cum senectus ipsa morbus sit.

Cap. 11

Impœnitentes etiam, & ij, qui cum notorij peccatores essent, nullum pœnitentiæ signum emittunt, hoc Sacramento careant.

C. illud dist. 93.

Illis tamen nō est denegandum, qui aliquo repentino casu correpti, hoc Sacramentum petere non valent, dummodo antea piè, & catholicè vixerint, & solitis temporibus

alia ſacramenta ſumpſerint.

Cap. 12

Vnctio renum, cum nō ſit ſubſtantialis, in mulieribus, honeſtatis cauſa omittitur, & poteſt etiam omitti in viris, cum eis propter infirmitatem commode adminiſtrari non poterit.

Cap. 13

Sacerdotis manus, cum illæ in ſuſceptione Sacri Ordinis interius inunctæ ſint, exterius vngantur, aliorum verò infirmorum interius.

Cap. 14

Archiep. Flo. in ſum. eiuſdem tit.

Si quis aliquo membro eorum, quæ inungi debent, caruerit, pars illi proximior vngatur.

Cap. 15

Cum ad ægrotum à Parochiali Eccleſia valde diſtantem defertur Sanctiſsima Euchariſtiæ Sacramentum, deferatur etiam Sacrum Oleum infirmorum, vt, ſi fortè poſt Communionem morbus ingraueſcat, vn-

gatur

gatur infirmus.

Cap. 16

Vbi verò Parochus hoc pium officium ægroto præstiterit, si ille adhuc viuit, aut animam agit, non discedat, sed omnia alia salutaria officia, quæ ad eius animæ commendationem pertinēt, præstare nō omittat.

De Sacrosāctis Ecclesiis, Cappellis. Oratoriis priuatis, & Altaribus illorūq; immunitate, & cultu.

Cap. 1.

NOuæ Ecclesiæ non construantur, nec antiquæ demoliantur, absq; nostra licentia, cum verò de noua Ecclesia construenda agetur, id præcipuè erit curandum, vt situs aptus, ac decens, adhibito etiam

C. nemo Ecclesiā de consecr. dist. pri. Cap. nullus. C. Ecclesię & c placuit, de consecr dist. 1. c. pię mentis 16. q. 7.

etiam periti Architecti consilio, eligatur, & quando commodè fieri poterit posterior pars Cappellæ maioris ad Orientem spectet, ità vt celebrans in Altari maiori, Orientalem plagam respiciat.

Cap. 2.

C. Ecclesiæ, vel altaria, & c. placuit de conse.dist. 1.

Priuata Oratoria, & Sacella etiam non ædificentur, & noua Altaria in Ecclesijs non erigantur absq́; nostra licentia in scriptis obtenta, nec facultas prædicta alicui concedatur, nisi etiam competentem dotem, & censum aßignet, ad Sacram supellectilem comparandam, & debitum seruitium in Altari exhibendum.

Cap. 3.

Vnum quodq́; altare in posterum construendum sit à scabello eleuatum palmis quatuor, latum palmis tribus cum dimidio, longnm palmis septem adminus, sitq́; lapideum, vel lateritium, non autem ligneum, nullaq́; in eo sint fenestræ, vel foramina pro rebus conseruandis, nisi tamen Sacræ Reli-

quia in eo essent recondenda.

Altare autem maius aliquanto longius esse poterit pro Ecclesia qualitate, & ita collocatum, vt circumiri facile possit.

Cap. 4.

Altaria omnia non consecrata habeat Altare portatile longum ad minus vncijs xxi. latum sexdecim, vt commode Patenam, ac Pixidem, cum sacra particula erũt consecranda capere possit, & huiusmodi sacer lapis inferatur in mensa Altaris non consecrati, ità, vt inter vtrumq; cornu medium teneat, & paulum emineat, quo Sacerdotis celebrantis contactu dignosci possit, sed nullum offensionis Calicis periculum immineat.

Cap. 5.

Habeant praterea altaria omnia pro eorum ornamento hac, qua sequuntur.

Crucem Argenteam, vel aream, aut saltem ligneam, decenter pictam, & deauratam.

Sa-

Sacram Imaginem in tabula, tela, vel pariete, quæ altaris titulo respondeat.

Duo candelabra ex auricalco, vel saltem lignea honestè picta.

Candelabra verò ferrea imposterum nõ permittantur.

Tabellam secretarum orationum è regione celebrantis positam.

Tres mappas ex subtili tela, quarum duæ inferiores vniuersam Altaris Mensam, superior verò etiam Altaris latera contegat.

Pallium decens, & telare ligneum, cui commode pallium affigatur.

Puluinos duos, vel saltem vnum, in quo Liber Missalis collocari possit.

Bradellam siue scabellum suppedaneum ligneum, ex tabulis expolitis rectè inter se compactis, scabelli vero latitudo sit palmorum trium cum dimidio, eiusq; longitudo excedat longitudinem Altaris ab vtroq; latere saltem vncijs quatuordecim, illudq; cingat

cingat vſq; ad parietem cui cohæret.

Feneſtellam in pariete à cornu Epiſtolæ conſtructam, & lapide transuerſali diſtinctam, itâ vt ſuperior illius pars, ad peluiculam cum vrceolis collocandam deſeruiat, inferior verò ad aquam ablutionis manuũ Sacerdotis recipiendam.

Tintinnabulum à parte Epiſtolæ appenſum (niſi tamen à Sacriſtia deferatur) quod in eleuatione Sanctiſſimi Sacramenti, pulſari poſſit.

Habeant præterea Altaria omnia (niſi fornice ſint contecta) vmbellam ex ſerico, vel alio pratioſo panno, aut ſaltem tegmen ex tabulis expolitis, & decenter pictis, quod Altare, & celebrantem tegat, nè à tecto puluis, aut aliæ ſordes ſuper ipſum cadere poſſint.

Sæpiatur etiam vnumquodq; Altare (ſi attenta loci qualitate, & latitudine id commodè fieri poterit) ſepto ferreo, vel marmoreo, aut ſaltem ligneo, quod ab

Altari, congruo spatio distet, & intra illud nulli laico ingredi liceat, cum Missæ sacrificium celebratur.

Cap. 6.

Nullus, etiam Canonicus, vel alia maiori dignitate præditus excusetur, quominus Altare, siue Cappellam, quam obtinet, ornet, & instruat iuxta decreta superius facta, quamuis in eadem Ecclesia sit Altare, in quo ipse dignitatem, vel Canonicatum obtinet.

Cap. 7.

Si verò redditus Cappellæ, vel Altaris ad illud ornandum, vel reformandum, iuxtà præmissas instructiones non sufficiant, poterit per aliquod tempus, & in aliqua parte, vel etiam (si opus fuerit) sub trahi totum seruitium, & prouentus ipsi seruitio attributos, reformationi, & ornamento Cappellæ, vel Altaris applicari, vt postmodum religiosè, & decorè in eo celebrari possit.

Altaria

Cap. 8.

Altaria non ædificentur ſubtus Organum, aut ſuggeſtum, nec ad columnas Eccleſiæ, neq; etiam è regione Altaris maioris, ità, vt celebrantes, & aſtantes Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, humeros vertere cogantur, nec præterea conſtruantur Turris Campanilis, aut Sacriſtiæ Ianuis nimis propinqua, aut alijs Altaribus ità cohærentia, vt Sacerdotes in eiſdem Altaribus celebrantes ſe inuicem impediant.

Cap. 9.

In Oratorijs in via ſitis Altaria non erigantur, & ſi aliqua adſint demoliantur, ita vt nullum Altaris veſtigium in eis remaneat, cum oratoria huiuſmodi non ad celebrandi vſum, ſed pro itinerantium tantum commoditate ſint facta, vt in eis paulum morari, & orare valeant.

Cap. 10.

Feneſtræ omnes præſertim in Eccleſijs Parochialibus, cratibus ferreis omnino muniã-

tur, niſi tamen ità alta exſtructa eſſent, vt ſine cratibus ab omni furtiuo, & violēto ingreſſu, tuta reddantur, vitro autem perlucido ſint obducta, & extrinſecus filis æreis inſtar retis vndiq́; ſepta.

Vbi verò ob Eccleſiarum paupertatem, feneſtræ vitreæ fieri non poterunt, ſaltem tela occludantur, hyemali præſertim tempore, rete autem in Eccleſiarum feneſtris ſemper obtendatur, ad prohibendos auium nidos, & garritus.

Cap. 11

Feneſtræ, ſi fieri poterit, ſuper Altaria non conſtruantur, ob aquæ pluuialis, quæ defluere poteſt periculum, nec etiam ab ea Eccleſiæ parte, vbi ventorum vis maximà eſſe ſolet, ne fidelibus orantibus incommodum afferant, & ſacris miſterijs exercendis periculum præbere poßint.

Cap. 12

Nullæ permittantur feneſtræ, vel etiam parua foramina, per quæ in Eccleſias ſit proſpectus

ſpectus, & foris ſtantes ex priuatis ædibus, (etiã Eccleſiaſticis) Miſſam ſpectare poßint, & ſi adſint, omnino claudantur, & pleno muro obſtruantur.

Cap. 13

In frontiſpitio omnium Eccleſiarum, & præcipuè Parochialium, ſupra portam maiorem, Sacra Imago exprimatur, & decenter pingatur, aut ſculpatur Sancti, vel Sanctæ, ad cuius honorem Eccleſia ipſa cõſtructa eſt, appoſita etiam inſcriptione, prout in noſtra viſitatione decreuimus.

Cap. 14

Eccleſiarum parietes, ab interiori parte Sacris picturis exornentur, vel ſaltem dealbentur, extrinſecus verò ab vrina, alijsq; ſordibus immunes conſeruentur, Arbores præterea, vites, hederæ, & alia huiuſmodi arbuſta, rubi, ac ſpinæ, quæ adnaſci, & ſuc creſcere ſolent, à parietibus Eccleſiarum ammoueantur, & euellantur.

Omnis

Cap. 15

Omnis Eccleſiæ, & Sacellorum interior ſuperficies, à ſolo vſq; ad faſtigium, ſaltem ſemel in anno à puluere, aranearum operibus, alijsq; ſordibus per operarios in eiuſmodi rebus exercitatos, diligenter mundetur.

Cap. 16

Pauimentum omnium Eccleſiarum, ſtratum omnino ſit ex marmore, vel ſilicibus, & bene adæquatum, nec ad mortuos ſepeliendum vnquam effodiatur, & pridie omnium dierum feſtorum, qui publicè ſeruãtur, diligentiſſimè puluere, terra, alijsq; immunditijs per ſacriſtas purgetur.

Cap. 17

Animalia, & piſces grandiores, eorumq; membra in Eccleſijs non appendantur, niſi quæ voti, aut piæ ſignificationis cauſa, nos per mittènda iudicabimus.

Cap. 18

In Eccleſijs, aut Oratorijs colligendarum eleæmoſinarum cauſa, etiam fabricæ

nomine

nomine, capsulæ non collocentur, absq; nostra vel Vicarij nostri licentia.

Cap. 19

Vt profanus vsus à locis Deo dicatis pœnitus remoueatur, & ea quæ de modestia, reuerentia, religiosaq; in Ecclesijs conuersatione, olim Greg. X. in Conc. Lugdonensi, & nouissimè Pius V. recolendæ memoriæ, Pontifices sanciuerunt, inuiolatè seruentur. Pius V. in sua constit. impressa in bullario pag. 924

Decernimus inprimis, vt Ecclesiarum claues, laicis hominibus, etiam colonis, & conductoribus ædium, vel bonorum Ecclesiasticorum, custodiendæ nõ relinquantur, sed Parocho, intrà cuius Parochiæ limites, Ecclesiæ ipsæ reperiuntur, vel Cappellano, aut alij Ecclesiastico viro, per nos, vel officiales nostros eligendo.

Cap. 20.

In Ecclesijs, nulla profana supellex conseruetur, nec frumentum, ordeum, aliud uè leguminis genus.

Poma

Poma etiam, & inſtrumenta ad Agriculturam neceſſaria, & cætera omnia à ſanctitate domus Dei aliena, etiam in Eccleſijs non conſecratis, Oratorijs, & Cæmeterijs aſſeruari prohibemus; nec etiam liceat in locis prædictis frumenta, frugesq́; expandere, nec etiam pannos lineos, aliosuè ſiccandos exponere, nec frumentum quaſi in Area ventilare, lignorum ſtruem componere, cœmentorum, lapidumuè aceruum congerere.

Prohibemus præterea, ne in poſterum antè Eccleſiarum fores, res venales appendantur, aut officinæ ex tabulis confectæ, etiam nundinarum tempore, adiungantur.

Cap. 21

Vidimus, & audiuimus in nonnullis Diœceſis nóſtræ locis, grãmaticam, & humanas literas publicè in Eccleſijs doceri, & ludos literarios retineri, quod in poſterum fieri prohibemus, nullaq́; aliæ literæ, in locis Sacris tradantur, præter ſacras, & rudimenta

menta Doctrinæ Christianæ.

Cap. 22

Ecclesiarum Rectores pernoctationes, aut nocturnas vigilias, in eorum Ecclesijs, fieri prohibeant, & post signum Angelicæ Salutationis, (quòd in ipso solis occasu dari solet) fores Ecclesiæ claudant, & neminem admittant, præter Sacerdotes, excepta nocte Natiuitatis Domini.

Et ne loca Deo dicata, pateant iniquitatibus hominum, non improbamus consuetudinem illam, vt Ecclesiæ, peractis diuinis officijs, claudantur.

Cap. 23

In Ecclesijs, præsertim dum diuina celebrantur officia, vel Sacra Concio habetur, nullus audeat deambulare, nugari, negociari, immoderatos risus, & cachinnos emittere, cæteraq; omnia facere, quæ Sacra misteria perturbare possunt, cum Domum Dei deceat sanctitudo.

C. Decet domum. de Immu. Eccl. in 6. c. Non oportet, & c. nulli. dist. 24. Clem. 1. §. nõ nulli de celebr. Miss. Cõc. Trid. sess. 22 de obser. & euitan. in ce-

Canum concursationes, & latratus in

 Ecclesijs

lebr.miſ.Pius V.in ſua cõſt. in bullario impreſſa ſub num. 5. pag. 924.

Eccleſijs non ferantur, nec vlli cum canibus venatorijs, aut volucribus, Eccleſiam intrare liceat. Haſtas prꝗterea, ſclopetos, baliſtas, & eiuſdem generis arma, in Eccleſiam deferri prohibemus, & ſolum enſem, & pugionem in Eccleſia permittimus, illis tamen qui deferendi facultatem habuerint. Cum mulieribus, de quibus aliqua ſuſpicio eſſe poſſit, nemo in Eccleſijs colloquatur, ne vbi peccatorum petenda eſt venia, ibi peccandi ſumatur occaſio.

Altaribus adhærere, Baptiſterio, aut Pilæ aquæ benedictæ, tanquam indecens prohibemus.

Caueant etiam omnes, ne in Eccleſijs irreuerenter ſedeant, & aduerſum ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

Cap. 24

Pius V.in pręall. conſt. 5. fol. 924.

Mendicantes, per Eccleſias eleæmoſinas non quærant, ſed ante fores conſiſtant, nec etiam cum diuina celebrantur officia, candelæ venales circumferantur.

Laicorum

Laicorum Conuentus, qui consilia appellantur, in Ecclesijs non fiant, nec etiam iudicia exerceantur, aut contractus celebrentur.

Cap. 25

Occisorum cadauera à Iudicibus, vel Notarijs, in Ecclesijs non inspiciantur, sed extra Ecclesiam pro huiusmodi inspectione asportentur, vt omnia quæ ad cædis cognitionem pertinent, à Sacris locis reijciantur, si verò iam sepulta essent nullatenus exhumentur.

Cap. 26

Fletus, lugubresq; lamentationes, quæ super defunctorum corpora, aut ad eorum sepulcra, à mulieribus præsertim, fieri solent, sunt profectò Sacris locis indecoræ, & Christiana spe indignæ, ideoq; in Ecclesijs eas fieri prohibemus.

Cap. 27

Diuinorum officiorum tempore, sacræ concionis, aut Doctrinæ Christianæ, ludum

pilæ, aliosq́; huiusmodi, inquibus strepitus, & vociferationes fieri solent, propè Ecclesias exercere non decet.

Cap. 28

Cum in maioribus solemnitatibus Ecclesiæ exornantur, caueant Sacristæ, nè ad earum ornatum, adhibeant aulea, cum figuris obscœnis, nec etiam imagines gentilium, & impurorum hominum, aut mulierum, quæ Templorum sanctitati parum conueniunt.

Cap. 29

Exod. c. 21 Numer. c. 3. 5. Deuter. c. 19. c. vltimo de i[...]m. Ecc. c. id constituimus 17. q. 4. Conc. Tri. sess. 25. c. 20 de reform. c. eos dist. 87. c. definiuit. c frater. c. si quis contumax. & c. rēū 17. q. 4.

In figuram Ecclesiasticæ libertatis, & immunitatis, in veteri testamento Ciuitates refugij erant constitutæ, quapropter Ecclesiastica immunitas, Dei præcepto ordinata, sicuti est diligentißimè custodienda, nec permittendum, quod confugientibus ad loca Sacra, aliqua vis contra Canones inferatur, sic etiam maxime cauendum est, ne ad Ecclesias, tanquam ad Asylum, facinorosi homines tutò se recipiant, & qui Ec-

clesiæ

clesiæ non obediunt, Ecclesiæ beneficio fruantur.

Mandamus itaq; Clericis omnibus, alijsq; Ecclesiasticis personis, proposita excommunicationis pœna, nè in eorum Ecclesijs, Cœmeterijs, vel Domibus recipiant exules, condemnatos, aut criminosos, sinè nostra, vel officialium nostrorum licentia.

Si verò contingat aliquem, ex prædictis hominibus, necessitate compulsum, & instante Satellitum periculo, in Ecclesiam, vel alia Sacra loca se recipere, teneantur Ecclesiarum Rectores, sub eadem excommunicationis pœna, ea de re, nos statim certiores reddere, qui, considerata personarum, locorum, & delictorum qualitate, id decernemus, quod Ecclesiasticæ immunitati conuenire existimabimus.

In reliquis verò circa Ecclesiasticam immunitatem, seruetur Constitutio piæ recordationis Gregorij xiiij.

D E

De Eccleſiarum Conſecratione, & profanatione.

Cap. 1.

C. Vnico de conſec. Eccl. & Altar. in 6 c. ficut. diſt. 68. c quemadmodũ. 32. q. 7. c. Eccleſijs. de conſe. diſt. 1.

ECcleſiæ ſemel conſecratæ, non ſunt iterum conſecrandæ, licet aliqua earum pars collabatur, niſi tamen ſolo æquatæ, & funditus dirutæ, denuò à fundamentis erigerentur.

Cap. 2.

Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 7. de refor. circa finem ver. Quod ſi nimia ęgeſtate.

Si aliquæ Eccleſiæ vetuſtate collapſæ, & quæ nullos habēt redditus ex quibus reparari poßint, erunt profanandæ, ſeruentur in earum profanatione infraſcripta.

C. Eccleſijs, de conſ. diſtint. 1.

Et primo Sacræ Reliquiæ, vel Sanctorum Corpora, & Sacræ Imagines in Eccleſia profananda exiſtentes, ad aliam Eccleſiam à nobis eligendam ſolemniter transferantur, deinde Sacerdos, cui à nobis, vel Vicario noſtro generali, hæc facultas data erit, de-

ueniat

ueniat ad profanationem, & demolitionem Altarium, & flexis genibus ante Altare profanandum, paulisper oret, & Orationem de Sancto, cui Altare illud erat dedicatum recitet: postmodum Altare ab omni parte detegat, & lapidem consecratum remoueat, illumq́; suis manibus lauet, & abstergat, & aquam lotionis in Sacrarium effundat; lapide ammoto, diligenter inspiciat, an aliquæ Reliquiæ fortasse adsint, quas repertas, honesto loco asseruet, donec à nobis deliberabitur, quid de eis agendum sit, deinde reliqua pars Altaris ab operariјs demoliatur.

Post Altarium demolitionem, fidelium ossa in Ecclesia profananda existentia exhumentur, præsente eodem Sacerdote, cui profanatio commissa erit, qui prius quam exhumationis fiat initium, præmittat Orationem, demumq́; oßibus simul collectis, transferantur ad aliam Ecclesiam, vbi collocanda erunt, adhibitis pijs Precibus, Psalmis, &

Anti-

Antiphonis, quæ in Defunctorum funeribus recitari solent.

Cap. 3.

Ecclesijs profanatis aduertatur diligenter, ne sordidis vsibus deseruiant, & in concessione Ecclesiarum profanatarũ, semper apponatur hæc clausula, vt non conuertantur ad sordidos vsus, præterea ad conseruandam memoriam, quod loca illa Ecclesiarũ profanatarum aliàs fuerunt Deo dicata, affigatur in eis Crux lapidea, iuxtà Decretum Sacri Conc. Trid.

Conc. Trid. sess. 21. c. 7. de reformat. in fine.

De Campanis,

Cap. 1.

Campanæ, quibus fideles ad Ecclesias conuocantur, in Campanili, aut alio loco non prius collocentur, quam solemni, & Ecclesiastico ritu fuerint consecratæ, sic enim earum sonus malignis spiritibus erit horribilior, & ad repellendas

tempestates

tempestates, & procellas, quæ plerunq; ab Angelis malis concitantur, efficacior.

Cap. 2

Turris Campanilis semper clausa retineatur, nec campanarum funes extrà Ecclesiam pendeant, ità vt ab omnibus pulsari poßint.

Cap. 3

Collegiatæ Ecclesiæ, tres ad minus Campanas habeant, Parochiales duas, & priuata Oratoria vnam tantum campanulam, non quidem in campanili, sed in aliquo Oratoriorum angulo constitutam.

Cap. 4

Caueant Parochi, ne Ecclesiarum campanæ, diuino cultui iam dicatæ, ad profanos vsus adhibeantur, vt puta ad conuocandum populum ad spectacula, ad reorum supplicia, aliaq; huiusmodi, indignum est enim sacrarum campanarum sono, qui ad diuina officia significanda fuit piè introductus, ad profanarum rerum significationem abu-

ti. Si veró Parochi, aliiq; Ecclesiarum Rectores in hoc deliquerint, seuerè puniantur.

Cap. 5

In omnibus Diœcesis nostræ locis, ter detur signum Angelicæ Salutationis, iuxtà antiquam Ecclesiæ consuetudinem, in Aurora, in meridie, & post solis occasum, vt fideles omnes ad nostræ Redemptionis, & Dominicæ Incarnationis singulare beneficium recolendum, sæpius excitentur.

Circa vero primam noctis horam, aliud signum campanæ detur, Orationis pro omnibus fidèlibus defunctis.

De Sacristis, & eorum officio, sacræq; supellectilis munditia,

Cap. 1.

I*N nostra Cathedrali Ecclesia duo Sa-*

cristæ perpetuo retineantur, sintq́ omnino Sacerdotes probatæ vitæ, cum ad eos pertineat cura Animarum. In Collegiatis verò nostræ Diœcesis, vnus saltem Sacrista nõ desit, eliganturq́ ad huiusmodi munus, Ecclesiasticæ personæ in sacris functionibus, & diuinorum officiorum recitatione, optimè instructæ.

Cap. 2.

Cum autem ad Sacristas pertineat custodia Sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, totiusq́ Ecclesiastici Thesauri, non admittantur ad eorum officium exercendum, nisi præstita prius idonea cautione, & facto inuentario.

Cap. 3

Habeant Sacristæ omnes in eorum Sacristijs tabellas infrascriptas.

Primo Tabellam, in qua omnes Missæ, funeralia, & alia huiusmodi offitia, quæ ex legatis pijs, aliauè de causa in Ecclesia per anni circulum sunt celebranda.

Tabellam Missarum Episcopalium, & Canonicalium, quæ etiam contineat Canonicorum, & aliorum Beneficiatorum debita munera, & functiones in diuinis officijs obeundis.

Tabellas binas de Orationibus præparatorijs, pro commoditate Sacerdotum, qui sunt celebraturi.

Tabellam omnium Episcoporum Ecclesiæ Auximanæ, vt Sacerdotes pro suis Patribus Deum piè deprecari nõ obliuiscantur.

Tabellam dierum festorum, qui ex præcepto, consuetudine, aut voto coluntur, quæ etiam contineat publicas processiones, quæ per anni circulnm fiunt.

Tabellam omnium Indulgentiarum ipsi Ecclesiæ concessarum.

Cap. 4.

In qualibet Sacristia, sit Altare, vel mensa Altaris speciem exhibens, eum Sacra Icona, Cruce, & candelabris, ibiq; Sacerdotes celebraturi paramenta capiant.

Nec

Nec desit in remotiori Sacristiæ parte, paruum Oratorium, in quo Sacerdos Missæ sacrum facturus, se recipiat, & paulisper meditetur, & oret.

Item vas aquarium ex marmore, vel alio solido lapide, cum suis papillis pro manibus abluendis, prope quod appendantur etiam lintea munda, pro manuum abstersione, quæ singula hebdomada mutentur.

Cap. 5

Retineantur etiam in qualibet Sacristia, crepidarum mundarum, saltem paria duo, quæ pro fratribus Sancti Francisci de obseruantia (cum eos celebrare contigerit) deseruiant, ac etiam pro Canonicis, aliisq; Sacerdotibus, si quando calceos luto coinquinatos deponere oporteret.

Cap. 6.

Curent Sacristæ, vt in Sacristia vani profaniq; sermones nõ habeantur, nec etiam permittant, laicos homines in Sacristia versari,

ſari, dum diuina celebrantur officia.

Cap. 7.

Singulæ Sacriſtiæ habeant propria veſtiaria, & armaria, iuxtà formam à nobis in viſitatione præſcriptam.

Cap. 8.

Sacriſtarum munus eſt luminum, ceræ, & olei curam gerere, vinum, hoſtias, & alia ad Miſſæ Sacrificium neceſſaria præparare: Aquam benedictam ſemel in hebdomada, vel ſæpius renouare: Altare maius, cæteraq; omnia decenter ornare, & pallia temporibus, & feſtis conuenientia adhibere, Eccleſiam expurgare, hora congrua dare ſignum Matutini, Miſſæ, & cæterarum horarum Canonicarum, curareq; vt Miſſæ ſuo ordine celebrentur.

Cap. 9.

Præcipuè verò iniungimus Sacriſtis, vt in conſeruanda munditia, & nitore totius Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ ſupellectilis, exactiſsimam adhibeant diligentiam, & in omnibus

nibus

nibus diligant decorem Domus Dei, ac munditiam Altaris, quod est mensa Domini.

Altaria omnia, saltem bis in anno (finitis Missis) spolientur, & scabella suppedanea remoueantur, vt sicci aeris sentiant beneficium, & vndequaq; benè mundētur.

Icones etiam, & vmbellæ Altarium, singulis mensibus à puluere, & aranearum telis benè mundentur, adhibitis ad hoc caudis vulpinis, aliouè instrumento.

Planetas, Pluuialia, Tunicellas, Pallia altarium, & alias sacras vestes, in suis vestiarijs diligenter conseruent Sacristæ, easq; frequenter inspiciant, vt quæ corrumpi, frangi, aut dissui incipiunt, tempestiuè sarciantur.

Quæ rarò adhiberi solent, quandoq; sereno Cœlo explicata exponantur, nè fortè mucescant, & malè oleant.

Cap. 10.

Lintea omnia Videlicet Albæ, Amictus,

super

Superpellicea, Purificatoria, & cætera quæcunq; diuini cultus causa parata, mundissima, & candidissima à Sacristis retineantur, & separatim ab aliis pannis, & indumentis profanis, & domesticis, lauanda locentur: adhibeaturq; diligentia, vt melius, quam alij panni purgentur, & poliantur.

Cap. 11

Superiores Altarium Mappæ, singulis mensibus, inferiores verò ter, aut quater in anno, mundæ apponantur.

Cap. 12

Corporalia præterea (quæ syndonem mundam, in qua Corpus Domini nostri fuit inuolutum, referunt) candidissima adhibeantur, denturq; sæpè personis peritis, vt cremore, aut amilo superinducto candorem augeant, eaq; durescere faciant, & complicent, ità verò sint complicata, vt nulla eorum extremitas appareat.

Corporalium

Cap. 13

Corporalium longitudo erit vnciarum triginta, & totidem latitudo; sint autem ex tela linea pura, nihilq́; elaboratum, & nihil sericum, aut aureum intextum habeant, sed ab oris simplici tantum acus opere punctim exornata.

Cap. 14

Calices omnes, saltem semel in mense aqua tepida, leui manu lauentur, & bis in anno lixiuia calida, & sapone molliori adhibito, benè abluantur, & purgentur.

Cruces, Candelabra, Thuribula, & reliqua supellex, tam argentea, quam ex auricalco, munda etiam, & nitida conseruetur, sæpeq́; à puluere, alijsq́; sordibus (palea combusta adhibita, si opus fuerit) abstergatur.

Cap. 15.

Vestimenta, & vasa Ecclesiastica, tam Cathedralis, quam Collegiatarum, nulli accommodent Sacristæ absq́; capitulari Ca-

nonicorum conſenſu, profanis verò hominibus, aut vſibus, nunquam accomodari poſſint, etiam de conſenſu capituli.

De ſacris Cœremoniis, & Cœremoniarum Magiſtris

Cap. 1.

SAcri, & approbati Eccleſiæ Catholicæ ritus, ſunt tanquam flores deuotionis; religionis inſignia, & ornamenta, nec ornamenta tantum, ſed etiam adiumenta; imprimunt enim in fidelium animis muta quadam eloquentia, diuinorum benefitiorum memoriam, & ad mirabilem miſteriorum noſtrorum ſanctitatem, & profectò publicus chriſtiani Populi cultus, & publica internæ pietatis teſtimonia, quibus Deum adoramus, & colimus, obſtupeſcere, & obmuteſcere facerent aliarũ gentium ignorantiam, & perfidiam, ſi oculis non ſtra

bis,

bis, ac inuidis viderent.

Cap.2.

Cupientes igitur vt sacræ Cæremoniæ in nostra Ciuitate, & Diœcesi integrè seruentur, & diuina misteria, ea qua decet grauitate, & decore ad Dei laudem, & Populi ædificatonem peragantur; nihilq; præposterè, & nihil ridicule fiat; mandamus, vt in nostra cathedrali Ecclesia duo Cæremoniarum Magistri semper adsint; in Collegiatis verò vnus, aßignata eisdem aliqua competenti mercede, vt diligentius quæ sui muneris sunt, exequantur.

Cap 3.

Magistris Cæremoniarum in his, quæ spectant ad rectam diuinorum officiorum recitationem, Sacramentorum administrationem, & Chori disciplinam, omnes cuiuscunq; gradus, & conditionis existant, obedire teneantur; dicti verò Cæremoniarum Magistri non superbè imperent, sed benigni moneant.

Cap. 4

Cæremoniarum Magistri munus erit, denunciare officium, simplex, vel solemne celebrandum, quæ Antiphonæ, quæ Orationes, & qui Psalmi recitandi, vel canendi, quando standum, vel sedendum, caput inclinandum, aut genua flectendum, omnesq; officij sui præmonere, & onera in publicis, & solemnibus actionibus distribuere, vt omnis in Domo Dei euitetur confusio. Quod vt melius executioni demandetur, conficiat Cæremoniarius Tabellam in Sacristia affigendam, in qua singulis Canonicis, & alijs Beneficiatis præscribat nominatim, quid ab ipsis faciendum sit, quo tempore, & ordine Missam celebrare, horas recitare, aliaq; munera obire debent.

Cap. 5.

Clericos rudes, & alios, quibus canendi Euangelium, vel Epistolam, aut aliam Ecclesiasticam functionem exercendi onus impositum erit, antequam in publicum prodeant,

deant, priuatim audiat Caremoniarius, & in Sacristia diligenter erudiat.

Aduertat præterea, an Sacerdotes suæ Ecclesiæ in Missarum celebratione se conforment rubricis generalibus Missalis, & caremonias in ipsis contentas seruent, si quos autem errare inuenerit corrigat.

De exorcistis, & exorcizandi ratione.

Cap. I.

LIcet Dominus noster Iesus Christus, dum in carne viueret, dederit Discipulis suis, & eorum successoribus potestatem super omnia Demonia, & Exorcistæ in susceptione ordinis eamdem accipiant facultatem, pleriq; tamen hodiernis temporibus, vitæ incontinentia, & morum prauitate, ad id minus idonei redduntur, & multi turpis lucri spe allecti, se præcipuos Demo-

num

num expulsores esse profitentur, in magnum clericalis potestatis dedecus, & piarum mentium scandalum.

Nos igitur cupientes, ut hoc Apostolicum ministerium hominum culpa, non vilescat, & ob prauitatem Exorcizantium demonum crescat audacia, certas leges in hoc tam graui negotio praescribendas esse duximus.

Cap. 2

Statuimus igitur, ut nullus Sacerdos, aut Clericus possit in nostra Ciuitate, & Diœcesi exorcimos energumenis adhibere, nisi à nobis, vel nostro Vicario Generali, exorcizandi facultatem in scriptis obtinuerit.

Qua licentia praeuio examine obtenta, seruet accuratè instructiones infrascriptas.

Cap. 3

Caueat inprimis, ut ad hoc religiosum exorcizandi munus, spe lucri non accedat, sed charitatis intuitu; nec aliquid ea de caus-

sa

ſa mercedis, aut muneris (etiam minimum) accipiat.

Cap. 4.

Antequam aliquem exorciZare aggrediatur, perquirat in primis diligenter energumeni vitam, mores, & actiones, exploret, quæ ſigna demoniaci in ipſo appareant, Medicumq; adhibeat (ſi expedire videbitur) vt cognoſcat an morbi alicuius cauſa, vel atræ bilis aliqua ſigna emittat, ex quibus Demonum vexatio præſumatur.

Cap. 5.

Inueſtiget oculatiſsimè, an illa ſigna, & corporis motus ſint ſimulati, ſolet enim multoties euenire, vt mulierculæ, etiam ex turpi cauſa, ſe à Demone vexatas eſſe ſimulent.

Cap. 6.

Inquirat, an Energumenus aliquò excommunicationis vinculo ſit irretitus, à quo non fuerit abſolutus; curetq; in primis, vt illi abſolutionis beneficium concedatur.

Energu-

Cap. 7

Energumenis exorcismos adhibere non incipiat, nisi illi primum confeßi sint, ad hocq; eos cohortetur, vt omnia antè actæ vitæ peccata deligenti conscientiæ discußione confiteantur.

Cap. 8.

In huius muneris functione, grauiter, & religiosè se gerat, & memor verborum Domini nostri Iesu Christi. Hoc genus Demoniorum non eijcitur, nisi oratione, & ieiunio. Pridie illius diei, quo exorcismum adhibere voluerit, oratione, & ieiunio se paret, & conscientia munda, magnaq; humilitate ad illud munus accedat; siq; Exorcizans fuerit Sacerdos, ante exorcismum Mißam omnino celebret.

Cap. 9.

In priuatis ædibus exorcismi non adhibeantur, sed in Ecclesia, & in loco conspicuo, & aperto; nec in conspectu multitudinis, nec tamen remotis arbitris, sed præsentibus

tibus duobus saltem ecclesiasticis viris ætate grauibus, hæc actio fiat.

Cap. 10.

Cum veró mulierem energumenam exorcizat (præter duos eeclesiastcos uiros) adsint etiam aliquæ mulieres energumenæ, si fieri poterit, consanguineæ, alios autem homines adessæ non patiatur.

Cap. 11.

Caueat autem nè Energumenæ mulieris caput, humeros, aut manum tangat, nec aliquid agat, quod circumstantibus offensionem præbeat.

Cap. 12.

Antè solis ortum, vel post occasum, nulli siuè mari, siuè fœminæ exorcismum adhibeat, nec duos simul eodem tempore exorcizet, sed vnumquemq; separatim.

Energumenum, vel energumenam in Altari non ponat, & illis tantum exorcismis, precibus, ritibusq; ad id munus vtatur, qui in libro à Sancta Romana Ec-

clesia approbato, continentur, quibus nihil addi, vel detrahi poßit.

De horis Canonicis deuotè recitandis, & silentio in Choro seruando

Cap. 1.

QVamuis Deus Optimus Maximus humanis laudibus non indigeat, vult tamen ab hominibus laudari, & diurnis, ac nocturnis precibus vtriusq; temporis primitias sibi offerri, meminerint: itaq; omnes, qui ad diuini officij recitationem sunt astricti, quod ipsi tanquam publici salutis ministri, sibi, & populo diuina misteria canere, & laborum suorum sacrificiũ, pro peccatis proprijs, & alienis offerre tenentur, ideòq; Dominus dedit illis regiones gentium, & labores populorum, vt annuncient sacrificium laudis, & reddant altißimo vota sua

C. fin. distin. 92. vbi Glos.

ta sua

ta ſua; curent igitur ſupplici mente, intima animi pietate, mundo ore, & puro corde id præſtare, prout Innocentius iij. Lateranenſi Concilio monuit, nec labijs pollutis, ad diuinas laudes recitandas, & ſacrum huiuſmodi tributum Deo perſoluendum, accedant.

Cap. 2.

Hortamur verò omnes, & ſingulos vrbis, & Diœceſis noſtræ Eccleſiaſticos homines, vt cum priuatim horarias preces recitant, non deambulando per loca publica, aliudue agendo, & cum alijs colloquendo, huiuſmodi munus obeant, ſed in Eccleſia (ſi fieri poterit) vel ſaltem Domi in loco remoto, & ſacris precibus magis accommodato ſe ſe recipiant, & pietatis ſtudio accenſi, pſallant Deo ore, & mẽte integras dictiones exprimãt; nec raptim, tumultuariè, & oſcitanter; ſed grauiter, diſtinctè, ac deuotè, diuinum officium recitent, ità vt ipſi quod dicunt, intelligant, ſi enim ſe ipſos non audiunt

nec à Deo exaudientur; legántq́ frequenter ea, quæ scripsit B. Antoninus de negligentia, in persoluendis horis Canonicis.

Cap. 3.

C. cum sede, & cap dolentes de præb. dignitat. *Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, etiam si nullum habeant beneficium tenentur ratione ordinis horarias preces recitare, siq́ aliqui in hoc negligentes fuerint, grauissimè arbitrio nostro punientur.*

Cap. 4.

Clerici verò minorum ordinum, si Ecclesiasticum obtineant beneficium, quamuis tenuè sit, nullumq́ habeat annexum onus Conc. Later. sub Leo X. sess. 6. c. 9. *tenentur ex dispositione Conc. Lateran. post sex menses à die obtenti beneficij diuinum officium recitare; qui terminus sex mensium cum fuerit assignatus, vt Clerici possint interim addiscere, modum ordinandi officium, si aliquis prius sciret, horarias preces recitare tenetur, etiam antè lapsum sex mensium.*

Cap. 5.

Beneficiati omnes, qui, ſex menſibus elapſis, vel etiam prius præſuppoſita ſcientia, diuinum officium recitare neglexerint, niſi iuſto impedimento excuſentur, fructus beneficiorum, pro rata omiſsionis officij, & temporis ſuos non faciunt, & tanquam fructus male percepti reſtitui debent, & in fabricã beneficialis Eccleſiæ ſunt conuertendi, vel inter pauperes Christi diuidendi, ità vt ſi aliquis horas canonicas vno, vel pluribus diebus omiſerit, omnes illorum dierum fructus, ſi quotidie diſtribuerentur, amittat.

Cap. 6.

Si verò aliqui propriè ſalutis pœnitus obliti vltra dictum tempus in ſimili negligentia permanſerint, & per quindecim dies diuinum officium, ſaltem bis, non recitauerint, canonica monitione præmiſſa, beneficijs omnibus priuentur, cum propter officium detur beneficium.

Conc. Later. ſub Leo X. in præal. ſeſſ. 6

Cap. 7

Et quoniam in constitutione Conc. Lateran. non fuit præfinita fructuum portio,
Pius V. in cõstit. 138. impressa in bul. pag. 1134. *quam pro singulis horis Canonicis non recitatis, quis amittat, Sanctiss. Pontifex Pius V. sua constitutione taxauit, in hunc qui sequitur modum.*

Statuimus, vt qui horas omnes canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seù beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur, qui verò matutinum tantum dimidiam; qui cæteras horas canonicas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat.

Cap. 8.

Nullus, etiam morbi causa, horarum canonicarum recitationem facilè omittat, non enim quæuis leuis infirmitas ab hoc onere excusat, & propterea qui corporis ægritudine detinetur, Medici, & Confessarij adhibito

consilio

consilio rectè pro sua conscientia perpendat, & animaduertat, quid præstare possit, nè temere officium omittendo grauiter peccet, & beneficij, quod obtinet fructus suos non faciat.

Cap. 9.

Cum psallentium Saeerdotum Chorus, Angelicos Choros imitetur, ac referat, illius disciplina plena est religionis; & pietatis, igitur canonici omnes nostræ Cathedralis Ecclesiæ, & Collegiatarum, qui in Choro conueniunt, ad diuinas laudes celebrandas, cogitent prius loci illius sanctitatem, & conueniendi causam, seq́ parent ad Angelicum munus obeundum sancta meditatione, & exteriori cultu; Cum superpellicium induunt, quod ex tela candidissima esse debet, cogitent, candidum amictum nihil aliud significare, nisi vt ab omni peccati labe puri existant, nec in ipsis aliquid reperiatur, quod Dei videntis, & viuentis, oculos offendat.

Cum

Cum verò Almutium humeris, vel bracchijs imponunt, eam suscipiant cogitationem, in ipsis mortuas esse oportere omnes humanas cupiditates, prout pellis illa mortui animalis designat.

Cap. 10

Postquam choralibus vestibus erunt induti, abstineant omnes, tam in Sacristia, quam alibi, nè dum à verbis scurrulibus, & inhonestis, verum etiam à iocis, cacchinationibus, alijsq; otiosis sermonibus; In Chorum non accedant properanter, & quasi distributionum lucro impulsi, sed graui incessu, & demissis oculis.

Vbi verò in Choro conuenerint, & præmissa debita oratione suis locis consederint, mentem ab omnibus curis, & perturbationibus abstrahant, tum cordis puritatem, beneq; orandi modum à Deo suppliciter petant. Arbitrenturq; se in conspectu diuinæ maiestatis, & in corona innumerabilium Angelorum, & Sanctorum esse.

Coniungant orationum ſuarum ſacrificium cum meritis Chriſti, & Sancti præcipuè, cuius memoriam eo die concelebrat Eccleſia.

Curent in primis, vt nō ſomnolenti, non pigri, non oſcitantes, non mente vaga, non vagis oculis, in choro adſint; requirit enim hæc ſolemnis actio, præter religioſam animi præparationem, decentem inſuper corporis compoſitionem; caueant igitur ne in choro permaneant proſtrati, extra proprium ſtallum, nec indecenti corporis ſtatu.

In choro nemo priuatim, nemo tacitè officium recitet, ſed omnes alternatim pſallant Deo, & laudent nomen Domini in Hymnis, & canticis, concordiq; voce, attentè, diſtinctè, & deuotè huiuſmodi ſacrum munus obeant, nec vna pars chori aliquid incipiat, niſi altera ſuum verſiculum iam perfecerit.

A quibuſcunq; colloquijs literarum, ac librorum lectione pœnitus abſtineāt, nec lo-

cum mutent, aut chorum exeant, nisi officio completo, vel alia necessitate vrgente, & tunc venia prius petita ab eo, qui in choro maiorem obtinet dignitatem.

Pro temporis autem, & officij ratione sedeant, stent, genua flectant, caput aperiant, & inclinent, omnesq; alios sacros ritus integrè obseruent, ità vt alijs Sacerdotibus ritè psallendi, & sanctè orandi exemplum præbeant.

Cap. 11.

Et quoniam attentio valdè excitatur, si quæ quisq; profert, intelligat, psalmorum intelligentiæ omnes assiduè studeant, turpe est enim, cum Deo loqui, & quid loquamur, quiduè ab eo orationibus nostris petamus, non intelligere.

Cap. 12.

Non ordinariæ distributionis lucro allecti, sed Dei charitate, & Religionis ardore commoti, diuinis officijs intersint, ita vt verè, & ex animo psalmi verba illa concinnant.

nant. Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.

Cap. 13.

Non poſſumus grauiter non dolere, quod laici homines cum Clericis permixti in choro ſedere non erubeſcant, ſancimus itàq; vt abuſum huiuſmodi abrogemus, & cunctis laicis cuiuſcunq; gradus, & conditionis exiſtant, ſub pœna excommunicationis prohibemus, nedum diuina celebrantur officia, chorum ingredi, aut in eo ſedere præſumant. Chori vero præfectus ſi id permiſerit, amittat diſtributionem illius diei.

Cap. 14.

Abſoluto horarum canonicarum officio, paulum in choro omnes conſiſtant, & flexis genibus veniam deprecentur cuiuſcunq; negligentiæ, & diſtractionis, quam in eo munere obeundo, admiſerint; demum facto ſigno diſcedendi, ordinatè, & modeſtè, & nõ curſim, ac tumultuariè ad Sacriſtiam

redeant, ibiq́; canonicales vestes sine strepitu aliquo deponant.

Cap. 15.

Vt autem erroribus, qui in diuini officij recitatione committi solent, occurramus, Clerusq́; noster vrbanus, & Diœcesanus vno ore glorificet Deum, nec inter ipsos aliqua diuersitas inueniatur: mandamus quolibet anno per duos ex canonicis nostræ Cathedralis Ecclesiæ, quibus id fuerit demandatum, confici Kalendarium Ecclesiæ Auximanæ, quo in persoluendis horis canonicis, & Sanctorum festiuitatibus celebrandis omnes vtantur sub pœna suspensionis.

De distributionibus quotidianis, & punctatoribus.

Cap. 1.

Conc. Trid. sess. 21. c. 3. de refor. sess. 21. c. 3.

CVm in nostra Cathedrali Ecclesia, & Collegiatis nostræ Diœcesis, non solum tertia pars fructuum, prout

Sacro

Sacro Conc. Trid. cautum est, sed omnes ferè redditus quotidianis distributionibus sint applicati, & inter seruientes diuidantur, nihil à nobis est super hoc statuendum; mandamus itaq; laudabiles singularum Ecclesiarum consuetudines integrè seruari, easq; auctoritate nostra confirmamus.

In illis verò Ecclesijs, in quibus nonnullis Horis Canonicis distributiones assignatæ non sunt, vt puta Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorio, constituantur omnino, nè horæ prædictæ contemnantur.

Cap. 2.

Distributiones quotidianas integras illi non percipiant, qui saltem in Sacro Subdiaconatus ordine non sint constituti. Vbi verò Canonicatus sunt præsbyterales, prout in collegiata Terræ Cinguli, & Montisfani, integras distributiones Canonici non lucrentur, nisi post promotionem ad præsbyteratus ordinem, quod infrà annum à die obtenti Canonicatus facere teneantur.

Conc. Trid. sess. 22. c. 4. de reform. & sess. 24. c. 12 de reform.

Ab-

Cap. 3.

Absentes studiorum causa, litium etiam beneficialium, vel peregrinationis distributionum participatione careant.

Canonici verò absentes pro publicis capituli negocijs in omnibus, & per omnia pro præsentibus habeantur.

Cap. 4.

Infirmi non prius distributionum beneficio gaudeant, quam eorum nomine fides Medici exhibita sit in capitulo, & approbata; quæ aduersæ valetudinis excusatio, tamdiù suffragetur, quamdiù durat infirmitas; Cum autem post conualescentiam Domum egressi fuerint, nisi ad Ecclesiam accedant, tanquam absentes punctentur.

Cap. 5.

Et nè circa distributiones huiusmodi aliqua fraus committi possit, mandamus, vt in nostra Cathedrali Ecclesia duo punctatores in posterum eligantur, vnus à capitulo, alter verò à nobis, in Collegiatis vero Eccle-

sijs,

sijs, vnus tantum punctator eligi poterit, & ij diligenter, & accurate in libro punctationum annotabunt omnes, qui horis canonicis non interfuerint; caueantq; ne in hoc, odio, amore, aut liuore alicuius moueantur, quo minus eorum oneri satisfaciant. Libros punctationum diligenter custodiant, illosq; singulis mensibus nobis, & Capitulo ostendant, vel etiam sæpius, si id Canonici postulauerint, aut nos iusserimus.

Cap. 6.

Vt fidelius punctatores in eo munere se gerant, antequam officium aggrediantur, præstent iuramentum in manibus nostris, vel nostri Vicarij Generalis, & in Diœcesi Vicarij foranei, iuramenti autem forma hæc erit.

Ego .N. Punctator electus promitto, spondeo, & iuro, quod officium huiusmodi diligenter, ac fideliter exercebo, librum punctationum conficiam, in quo absq; dolo, omnibusq; humanis affectibus remotis, Canoni-

cos,

cos, omnesq́; alios, qui tempore debito horis canonicis in choro nõ interfuerint, iuxtà constitutiones Synodales, describam, & annotabo; sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia, vel si iuret super Sacras Reliquias, & hæc Sanctorum pignora.

Quod iuramentum præstent punctatòres, non solum in principio officij, verum etiam in publico Diœcesanæ Synodi Conuentu, qui habebitur, dum ipsi huiusmodi officium gerent.

Officium autem punctatoris sit annale, vel breuius, iuxta Ecclesiarum antiquas consuetudines.

Cap. 7

Conc. Trid. sess 24. c. 12 de refor. ver. Distributiones vero.

Et nè Decreta superius facta euanescant, & punctatorum diligentia reddatur frustratoria, interdicimus Canonicis iuxtà Constitutionem Bonifatij viij. & Decretum Concilij Tridentinij, vt distributiones quotidianas sibi inuicem donare non possint, nec remittere aliquo modo,

do, tacitè, vel expreſſe, aut aliquid circa huiuſmodi diſtributiones ſtatuere ad fauorem abſentium.

De Oratione quatraginta horarum,

Cap. 1.

SAlutaris inſtitutio Orationis quatraginta horarum, ſicuti plena eſt Sanctiſsimis miſterijs, ſic ètiam maximè cupimus, vt religiosè, & deuotè celebretur, cuius rei gratia decernimus infraſcripta.

Cap. 2.

Primo Oratio huiuſmodi in ijs tantum Ecclesijs celebretur, in quibus Sacra Eucharistia continuè aſſeruatur; fiatq́ omnino in conſpectu Sanctiſsimi Sacramenti, quod è Tabernaculo eductum in Altari maiori, vel alio Sacello Orationi deſignato collocetur, ſitq́ locus ipſe quo fieri poterit, remo-

tior, & decenter ornatus.

Cap. 3.

Orationis initio, cum Sanctiſsimum Sacramentum exponendum erit, fiat proceſsio per Eccleſiam, vel extrà arbitrio noſtro, adhibitis litanijs, & ſolitis precibus, idemq́; ſeruetur, cum, oratione abſoluta, ſanctiſſimum Sacramentum erit reponendum.

Cap. 4.

Duo Clerici ſuperpellicijs induti, ad ſacramenti cuſtodiam ſemper aſsiſtant, & orent, vel ſi Clerici non aderunt, qui hoc pium munus obire poſsint, duo ſaltem ex Confratribus ſanctiſsimi Sacramenti ſacco Confratrum induti, alternatis vicibus adſint, & inuigilent.

Cap. 5.

Ardeant ad minus ſuper Altare, in quo Sacramentum erit collocatum, ſex cerei grandiores, & tres lampades, non quidem ſuper Altare, ſed ante, vel circa illud decenter diſpoſitæ, licet pro maiori decore, maiorem

rem

rem etiam luminum, & lampadarum numerum, vbi fieri poterit, desideremus.

Cap. 6.

Deputentur viri aliqui graues, & Deum timentes, qui Orationis curam gerant, & ea omnia, quæ ad illius ornatum, & quietem pertinere videbuntur, disponãt, curentq́; præcipuè, vt Oratio per quatraginta horas continuas (vt misterij ratio postulat) sine aliqua intermißione, ne quidem temporis momento, die, noctuq́; fiat; claßibusq́; distinctis, ac dispositis, vnicuiq́; propriam Orationis horam aßignent, & congruo temporis interuallo, singulas classes moneri curent, vt hora aßignata, ad orandum conueniant, nullumq́; pœnitus intermißionis spatium relinquatur.

Accedant autem singulæ classes processionaliter, Cruce præcedente, & pijs precibus adhibitis.

Cap. 7.

Nocturno tempore non detur mulieribus

orandi facultas, ſed de die tantum, & cum mulieres orantes aderunt, viri non intromittantur, ſed foris orent.

Cap. 8.

Cum Oratio de noctè celebratur, non propterea Oſtia Eccleſiæ aperta retineantur; ſed clauſa omnino ſint, & conuenientibus ad orationem aperiantur.

Siq; fortaſſe noctu orantes deerunt, Sanctiſsimum Sacramentum in Tabernaculo recludatur, & intermiſſum orandi ſpatium ſequenti die compenſetur.

Ad excitandam præterea orantium deuotionem, id etiam paretur, vt in huius Orationis exordio, ac deinde ſæpius, breuis ſermo ſanctæ meditationi accomodatus habeatur.

Cap. 9.

Cum in Eccleſijs monialium, hæc Oratio celebrabitur, nemo prorſus noctu ad orandum intromittatur, ſed Sanctiſsimo Sacramento in Tabernaculo per noctem collocato,

ſolæ

ſolæ Moniales in interiori Eccleſia per ſtatas horas in Oratione perſeuerent, mane autem facto, Sacramentum iterum è Tabernaculo educatur, quoad finis Orationis adueniat.

Cap. 10

Tempore quatraginta horarum abſoluto (quod ſine noſtra licentia prorogari non poſsit) Oratio dimittatur, & prauia proceſsione (vt ſupra decretum fuit) Sacramentum in Tabernaculo reponatur.

Si verò de nocte cadat Orationis terminus, poterit vſq; ad lucem prorogari, cum indecens videatur, Sanctam hanc actionem de noctè terminari.

De Proceſsionibus.

Cap. 1.

A*Ntiquiſsimus eſt Proceſsionum vſus, eaq; potiſsimum ratione à Sanctis Patribus inſtitutus, vt exteriori Religionis,*

gionis, & pietatis pompa honorificetur Deus, & pro publicis beneficijs, publicè etiam gratiæ referantur, communesq́; supplicationes fiant in communibus aduersitatibus. Curandum est igitur, vt vetus huiusmodi orandi modus omni pietatis studio celebretur, & nihil sit præposterum, nihil indecorum; sed omnia ritè, rectè, & ordinatè fiant.

Cap. 2.

Parochi omnes cum generales supplicationes, pro imploranda Dei misericordia, siue pio gratiarum actione, indictæ fuerint, Populum eis commissum debito tempore moneant, vt vnusquisq́; illis interesse, illamq́; sanctam actionem prosequi velit, causamq́; edoceãt, ob quam Processiones institutæ sint, & misteria etiam ostendant, quæ externo illo supplicationis apparatu significantur.

Cap. 3.

Supplicationes generales in nostra Ciuitate Auximana à Cathedrali Ecclesia, in Diœcesi verò à primaria cuiuscunq́; loci Ecclesia

clèsia initium sumant, & facto solito circuitu ad eamdem omnino reuertantur, nisi tamen aliter nobis, vel officialibus nostris videretur.

Cap. 4.

Dignitates, & Canonici, tam Cathedralis, quam Collegiatarum, Parochi omnes Beneficiati, & Clerici cuiuscunq; ordinis ad Processiones accedant, & bini procedant spatio conuenienti, inter se disiuncti, grauitatem, & religiosam pietatem etiam incessu ipso declarantes.

Caueant autem Sacerdotes, & Clerici omnes, qui in aliqua sodalitate erunt ascripti, nè dimisso clericali habitu, cum Saccis inter alios confratres ad Processiones accedant: sed cum reliquo Clero, suisq; superpellicijs induti conueniant.

Cap. 5.

Regulares, etiam exempti ex Sacri Conc. Trid. dispositione, & Laicorum Societates ad Processiones vocatè accedere teneantur, Conc. Trid. sess. 25. c. 13.

nec

nec in via Proceſsiones dimittant, ſed omnes ad Eccleſiam, in qua terminanda eſt Proceſsio, reuertantur, ibiq; permaneant, donec ſolitæ Orationes dictæ fuerint.

Illi verò qui de iure, vel de conſuetudine ad ſupplicationes, tam ordinarias, quam extraordinarias, accedere tenentur, ſi vocati non acceſſerint, ſoluant pœnam ſcutorum duorum, niſi tamen iuſtum impedimentum legitimè probarent.

Cap. 6.

In omnibus Proceſsionibus id maximè ſeruari cupimus, vt omnes grauiter incedant, ſilentio, modeſtia, & deuotione vtantur; abſint pœnitus colloquia, riſus, cæteriq; actus extranei, & indecentes, Clericiq; præcipuè religioſam hanc modeſtiam ſeruent; pileum non deferant, Chirotecas, flores, aut aliud inane, & indecorum in manibus non habeant, abſtineantq; ab omni confabulatione, & oculorum vagatione; ne dum iram Dei placare ſtudemus, illam potius irritemus, &

mus, & in ipsa gratiarum actione, ingratos nos exhibeamus.

Laici, cum Clericis se non immisceant, nec processionem turbent, aut interrumpant.

Cap. 7.

Cum deinceps Processiones erunt indicendæ, huiusmodi adhibeatur cautio, vt si quidem fiant pro gratiarum actione, die Domico, vel feria quinta indicantur; si vero supplicandum sit pro pœnitentia, pro imploranda Dei misericordia, pro auertendis publicis calamitatibus pœstis, famis, ac belli, fiant feria quarta, sexta, aut Sabbato.

Cap. 8.

Cruces, Insignia Sacrarum Imaginum, vexillauè Ecclesiastica, Clerici tantum superpellicio induti præferant, vel si Regularium sint, eorum aliqui in Clericali ordine constituti, aut saltem illius ordinis habitu amicti, non autem Laici homines.

Sodalitatum verò signa, à Laicis homi-

nibus ſacco indutis geſtari non prohibemus.

Cap. 9.

Vt ſupplicationes recte procedant, eligantur aliqui Eccleſiaſtici homines, qui Clerum dirigant, populum in ordine conſiſtere, mulieres velatas, & à viris ſeparatim incedere iubeant, cæteráq; huiuſmodi moneant.

De Proceſsione Sanctiſsimi Corporis Chriſti

Cap. 1.

PIum admodum, ac religioſum, omniq; acceptione dignũ fuit decretum Vrbani quarti, quo Sanctiſsimi Corporis Chriſti ſolemnitatem ſemel in anno, & feria quinta poſt octauam Pentecoſtes, celebrari iuſsit, dictumq; Sanctiſsimum Sacramentum per loca publica ſolemni proceſsione circumferri voluit, prout generali totius Eccleſia

Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 5.

ſiæ conſuetudine receptum fuit; nihil enim (prout Alexander Papa ſcriptum reliquit) in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quam Corpus, & Sanguis Chriſti, nec vlla oblatio maior, cum ſit candor lucis æternæ. C. Nihil de conſ. diſt. 2.

Conuenit itaq; vt quò maior eſt tanti Sacramenti dignitas, maiori etiam cultu, & veneratione colatur, fideleſq; omnes pro beneficio omnium maximo, erga cõmunem Dominum, & Redemptorem, qui in ipſo Sacramento eſſentialiter continetur, ſingulari, piaq; animi ſignificatione se gratos exhibeant, externiſq; ſignis, internam deuotionem teſtentur audacter enim dicere poſſumus, Non eſt alia Natio, tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis; vel cum Pſalmiſta. Non fecit taliter omni Nationi. De inſtitutione huius ſolemnitatis adeſt conſtit. Mar: Quint. quę incipit, Ineffabile. in bullar. fol. 63 & Eugen. iiij pag. 67.

Vt igitur hæc ſolemnis actio, ſanctè, decorè, ac deuotè celebretur, & certo illius ordine præſcripto, omnis euitetur confuſio, infraſcripta in poſterum obſeruari mandamus.

Cap. 2.

Inprimis repetentes hic ea, quæ superius statuimus, circa alias Processiones, mandamus, vt tam in Ciuitate, quam in Diœcesi, Processio Sanctissimi Corporis Christi, fiat semper de mane, non autem post prandium.

Cap. 3.

Clerici in minoribus constituti habeant sua superpellicia munda, atq; decentia; Diaconi, & Subdiaconi Tunnicellam, & Dalmaticam; Sacerdotes Planetas, dignitates autem, & Canonici deferant pluuialia.

Cap. 4.

Conueniant etiam omnes Regulares, cuiuscunq; ordinis sint, sub eorum Crucibus, Confratres omnium Sodalitatum, ac præsertim Sanctissimi Sacramenti, & singuli gestent cereos accensos.

Cap. 5.

Sanctissimum Sacramentum deferatur

ab

ab Episcopo, vel ab alio, primam dignitatem post pontificalem obtinente, sub vmbella pratiosa, quam substentē Magistratus, & Nobiliores de populo alternatim.

Cap. 6.

Viri subsequantur Sacramentum ea, qua decet deuotione, & aperto capite, mulieres vero vltimo loco velatæ comitentur, & studeant omnes, proprias candelas accensas deferre, cum in eo Sacramento idem Deus præsens esse credatur, qui in Cœlis regnat.

Cap. 7

Viæ, per quas Sacramentum erit deferendum, non solum diligentissimè mundentur, verum etiam superius contegantur; parietes autem domorum auleis, siue ex corio, siue ex lana, & pijs Imaginibus exornentur. Deo etenim, & non homini, honor iste exhibetur. Vicini autem, ad quos huiusmodi onus spectat, pro latitudine Domus cuiuscunq; si in præmissis negligentes fuerint, soluant pœnam, quæ in edictis, singulo quoq;

anno

anno publicandis, erit apposita. Nec ab huiusmodi onere sint immunes Priores Ciuitatis Auximi, & aliorum locorum nostræ Diœcesis, sed ante eorum Palatium teneantur, & ipsi parietes auleis exornare, & viam desuper contegere.

Cap. 8.

Altaria, quæ in via parari solent, vt in eis Sacerdos Sacramentum deferens, aliquantulum conquiescere poßit, cum paßim fiant, & à Laicis hominibus indecenter, ac profanis imaginibus exornentur; mandamus, vt in posterum quattuor tantum Altaria, stationis causa, in nostra Ciuitate Auximana erigantur, vnum propè Parochialem Ecclesiam Sanctæ Palatiæ; alterum ante Ecclesiam Fratrum Heremitarum Diui Augustini; Tertium propè monasterium Sacrarum Virginum, Sancti Nicolai; Quartum vero antè Parochialem Ecclesiam Sactißimæ Trinitatis, & huiusmodi onus parandi Altaria pertineat ad Regu-

lares

gulares, siuè Parochos, propè quorum Ecclesias erunt erigenda.

In locis autem Diœcesis nostra tot fiant Altaria, quot Vicarij foranei iudicauerint esse necessaria, cum simili cautione, vt Sacerdotibus tantum, vel Clericis in sacris ordinibus constitutis, hac cura demandetur.

Cap. 9.

Parochi omnes, pramoneant Parochiales suos, qui aliquo iusto impedimento detenti, processioni interuenire non poterunt, vt in via, vel antè portas domorum, Sanctissimum Sacramentum adorent, nec permaneāt in fenestris, & locis eminētioribus, cum id indecentissimum sit, & à Christiana humilitate pœnitus alienum.

Cap. 10

In via, nulla fiant repræsentationes, etiam rerum piarum, absq; nostra licentia, nec aliquid versu, aut soluta oratione recitetur, præterquam in locis, vbi quiescendum erit, & tunc ne Sacramentum deferens,

plus,

plus æquo consistere teneatur, breuissima sit oratio, & laudatio, à nobis prius, vel Vicario nostro generali visa, & approbata.

Cap. 11

Tormenta bellica, siue sclopetta, aut alia huiusmodi, nec in vijs, nec in fœnestris exonerentur, nisi postquam Prælatus Sacramentum deferens, pertransiuerit.

Cap. 12

Et quia saluti animarum anxiè inuigilamus, mandamus Parochis, vt per aliquos dies antè celeberrimam Sanctissimi Corporis Christi solemnitatem, Populum eis commissum, efficaciter moneant, quatenus omnes peccata confiteri, ipsaq; solemnitatis die, Sacram Communionem sumere non omittant, & nō solum ad Processionem conueniant, verum etiam per totam octauā diuinis officijs intersint, vtq; id libētius faciāt Indulgentias à Summis Pontificibus, Vrbano Quarto, Clemente Quinto, Martino Quinto, & Eugenio Quarto, concessas pro mulgent,

Clement. vni ça. circa finē, de rel. & vener. sanct. Eug. iiij. in const. edita, de anno 1423 quę habetur in bullar. nu per impræsso pag. 67.

mulgent, ſunt autem infraſcripta

Quicunq; confeſſus ieiunauerit in vigilia huius Sacræ Solemnitatis, Indulgentiam ducentorum dierum conſequetur.

Qui ſolemnitatis die, Communionem ſumpſerit totidem.

Qui eodem feſto, & omnibus Octauæ diebus, pro pace, & tranquillitate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Miſſas celebrauerit, ſimili gaudebit Indulgentia.

Illi verò qui feſto die, Proceſſiones, in quibus ſalutaris Hoſtia defertur, continuè proſequuti fuerint, ſimilem ducentorum dierum Indulgentiam conſequentur.

Qui primis Veſperis interfuerint, & in ipſa Sacra Solemnitate Matutino, Miſſa, & ſecundis Veſperis, pro eorum ſingulis, ſimilem Indulgentiam conſequentur.

Præſentes Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorio, pro ſingulis horis, octuaginta dies Indulgentiæ obtinebunt.

Illi autem, qui per totam Octauam Ve

speris, cæterisq; horis Canonicis, præsentes aderunt, pro singulis Octauæ diebus, ducentorum dierum Indulgentiam consequentur.

De Funeribus, & Sepulturis.

Cap. I.

M*Andamus, vt in posterum prima die post commemorationem omnium Defunctorum, immediatè sequente, generale anniuersarium, pro omnibus Summis Pontificibus, deuotè celebretur, sequenti verò die pro Episcopis Auximanis, quod si prima dies in Dominicam incideret in sequentem transferatur, & his anniuersarijs, nos (dum vitali aura fruemur) semper interesse curabimus, & post Missam solitam absolutionem faciemus, rogamusq; in Domino omnes successores nostros, vt idē*

seruent

ſeruent, & Animabus ſuorum Prædeceſſo-rum, meæq; præcipuè, quæ maioribus grauata peccatis, piorum etiam ſuffragijs magis indigebit, hoc charitatis officium perſoluere non grauentur, ſimilem, & ipſi à ſucceſſoribus miſericordiam expectantes, iuxtà Euangelicum vaticinium. Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.

Sequenti verò die, aliud anniuerſarium pro omnibus Archidiaconis, Archipræsbyteris, & Canonicis defunctis celebretur, demum pro omnibus Cathedralis Eccleſiæ benefactoribus.

Cap. 2.

Epiſcopo mortuo, vel morti proximo, duæ ex primis dignitatibus in Capitulo exiſtentibus, viciniorem Epiſcopum, vel eo abſente, aut impedito, alium inuitent, quem enixè in Domino rogamus, vt quam primum venire non dedignetur, ac ſi viuum Epiſcopum ægrotum inueniat conſoletur, eaq; præſtet officia, quæ breuiter morituro, ad-

animæ salutem sunt necessaria; eo autem viam vniuersæ carnis ingresso, vna cum seculari, & regulari Clero eius funeri intersit.

Cap. 3.

Capitulo mandamus, vt statim omnes Vicarios foraneos de Episcopi morte reddat certiores, qui in Ecclesijs Collegiatis, & Parochialibus totius Diœcesis, Missam solemni more celebrandam curabunt pro eius anima, & publicis supplicationibus indictis, Deum piè deprecabuntur, vt orbato Gregi, Pastorem concedat iuxtà cor suum.

Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de reformat.

Cap. 4

Adeò, his miseris temporibus inexplebilis, ac sordidæ auaritiæ vorago, Ecclesiasticorum hominum mentes occupauit, vt maximè sit dolẽdum, ea, quæ à Sanctis Patribus ad pietatem, & salutem Animarum fuerunt instituta, ad quæstum, & turpe lucrum referri. Statuimus igitur, vt nulli, exequiarum

rum

rum, ſepultura, & anniuerſariorum cauſa, quicquam paciſci, aut exigere liceat, præter id, quod ex antiqua locorum conſuetudine dari conſueuit; caueantq́ Parochi, & alij Eccleſiarum Rectores, ne pietatem cupiditate deturpent, licet enim Mortuorum Hæredibus grauiter, & modeſtè ſuadere debeant, vt anniuerſaria officia celebrent, non tamen id moleſtius flagitare, & importunis præcibus, vel ab inuitis extorquere licet, prout à non nullis fieri audiuimus, ſolaq́ charitatis ratio Clericos, tam Seculares, quam Regulares adducere debet, vt fidelium funeribus interſint, & ſanctis orationibus, Defunctorum animabus ſuffragentur.

Cap. 5.

Siuerò Defunctorum Hæredes in eam prolabantur impietatem, vt religioſum Exequiarum cultum negligentes, ſolitam eleemoſinam, & debita luminaria adhibere nolint, ab ordinario cogantur, etiam per

cenſuras

censuras Ecclesiasticas, ea prouidere, quæ (iuxtà loci consuetudinem, & personarum qualitatem) necessaria videbuntur.

Cap. 6.

Pauperes, & miserabiles personæ, quibus mortuis, parum, aut nihil superest, ità, vt sua impensa humari non possint, à Parocho sumptibus Ecclesiæ sepeliantur.

Negare autem, vel differre sepulturam minimè liceat, ex eo quod non persoluantur, quæ de iure, aut consuetudine præstari debent.

Cap. 7

Sæpe, non sine graui populi offensione, inter Regulares, qui beneficia curata obtinent, aut in eorum Ecclesijs sepulturæ electio facta est, & Parochos seculares controuersiæ exoriuntur, quas tollere cupiëtes, statuimus, vt cum ex Parochia Sacerdotis secularis cadauer erit efferrendum, vt in alia Parochiali, siuè regularium Ecclesia sepeliatur, vel è contra, tunc proprio defuncti Parocho, semper

per sit salua quarta funeralium, quæ ex Sacris Canonibus, & antiqua consuetudine illi debetur.

Cap. 8.

Regulares, siuè alij Præsbiteri, in quorum Ecclesijs sepulturæ electio facta est, nec non confratres cuiuslibet Societatis, non possint defunctum efferre, sine licentia, & præsentia proprij Parochi.

Cap. 9.

Defunctorum corpora nõ efferantur, nec Ecclesiasticæ sepulturæ tradantur, nisi elapsis viginti horis, post animæ exhalationem; si vero peritorum iudicio, citius essent efferenda, fœtoris, aut contagij causa, saltem duodecim horarum spacium intercedat.

Repentina morte sublati, sepulturæ non tradantur, nisi post viginti quattuor horas.

Ante solis ortum, vel post occasum, mortuum efferri omninò prohibemus.

Cap. 10

Candelæ, cerei, & intorticia, vulgo nuncupata

cupata, quæ circum circa Crucem, cadauer, & feretrum fuerunt adhibita, nec non in Altaribus, reliquisq; locis, dum funerale officium celebratur accensa, ita Deo oblata, & diuinis vsibus addicta censeantur, vt Sacristiæ illius Ecclesiæ in qua cadauer sepelitur, vel aliarum Ecclesiarum, iuxtà distributionem ex locorum consuetudine faciendam, pleno iure sint applicata, nec Hæredibus Defuncti aliquo modo restituantur.

In anniuersarijs verò, quæ per defunctorum hæredes fieri solent, idem disponimus, vt cera, quæ (officio peracto) supererit, Sacristiæ censeatur applicata.

Cap. 11.

Quoniam ex multorum relatione audiuimus, & nos ipsi oculati testes sumus, quod Canonici nostræ Cathedralis Ecclesiæ, & aliarum Collegiatarum Diœcesis nostræ ad funera inuitati, huiusmodi pium officium, & omni charitate plenum, omittunt,

sub præ-

ſub prætextu, quod aliquo cognationis, vel affinitatis gradu cum ipſo defuncto coniuncti ſint, ſæpeq́ue eueniat vt tres, aut quattuor tantum Canonici, cum magno Capituli dedecore, & piarum mentium offenſione, in funeralium proceßionibus conſpiciantur; cupientes huic malo opportunè prouidere, mandamus, vt in poſterum cum capitula ad funera erunt vocata, Canonici omnes, non legitimè impediti, qui vè ipſi defuncto, primo *vel ſecundo cognationis, vel affinitatis gradu coniuncti nō erunt, accedere teneantur ſub pœna amißionis omnium diſtributionum quotidianarum illius diei, quas ſibi inuicem condonare, & remittere non poßint; licet ſperemus Canonicos noſtros, nō timore pœnæ, ſed charitatis intuitu, oneri ſuo ſatisfacturos. Si verò accideret, quod Canonici ad funera non conuenirent, decernimus, vt Crux Cathedralis, vel Collegiata Eccleſia nunquam efferatur, niſi præſente ſaltem maiori parte capituli.*

Cap. 12.

Eleamosina quæ in funeralibus persolui solet, inter præsentes tantum, & associantes diuidatur; Absentes verò, quamuis legitimè impediti, & infirmi, nihilominùs percipiant.

Cap. 13.

Cum defunctorum corpora ad aliquam Ecclesiam custodiæ causa deferuntur, quoad Ecclesiastica tradantur sepulturæ, interdicimus, pœna excommunicationis proposita, ne ad eamdem Ecclesiam accedant consanguinei mortuorum, & affines, præsertim mulieres, vt circa feretrum (prout hactenus, factum fuisse audiuimus) ploratus, & clamores emittant, à domo Dei pœnitus alienos.

Cap. 14.

Catholica Ecclesia, Spiritu Sancto edocta piè statuit, fideles omnes in locis sacris sepeliri, sic enim eorum corpora, ab iniurijs malignorum spirituum, magis tuta redduntur, & in

& in sepulchris dicitur esse requies mortuorum, suntq́, etiam munita patrocinio illius Sancti, cui dicata est Ecclesia, ac fideles viuentes, facilius mortuorum recordantur. C. Aurũ 12. q. 2. c. non æstimemus 3. q. 2. c. cum grauia 13. q. 2.

Cap. 15.

Sepulturæ electionem omnibus liberam esse, etiam filijs familiàs Sacri Canones decreuerunt; si tamen aliquis, non facta sepulturæ electione facto cedat, sepeliatur in sua Parochiali Ecclesia, vel in sepultura suorum maiorum. C. pri. de sepult. in 6.

Cap. 16.

In omnibus Parochialibus Ecclesijs, in quibus non reperiuntur, mandamus fieri duo sepulcra, vnum Parochorum, Rectorumuè earumdem Ecclesiarum, alterum verò pro pauperibus, & peregrinis, qui proprium sepulturam non habent.

Cap. 17.

Noua sepulcra fieri in Ecclesijs nostræ Ciuitatis, & Diœcesis absq́, nostra licentia prohibemus, quæ verò fieri concessum erit,

Pius V. in cõstit. Quinta, quę incipit, cumprimum impressa in bullario pag. 924. vers. & vt in Ecclesijs

non construantur in excelso loco, aut supra Ecclesiæ pauimentum, nec fiat propè Altaria (vt Varensi Concilio cautum est) sed os sepulcrale ab Altarium scabello distet saltem palmis sex, In choro, & intrà fines maioris Cappellæ, sepulcra fieri prohibemus.

Cap. 18.

Sepulcra omnia, ne vllo vnquam tempore fœtorem exhalent, operiantur dupplici integumento, ita tamen, vt inter vtrumq; aliquid spatij relinquatur. Superius verò integumentum fiat ex marmore, vel alio solido, & expolito lapide, affigaturq; in medio ipsius, anulus ferreus, ad illius eleuandi vsum, ita tamen, vt nihil emineat, sed tantumdem in lapide excauetur, quantum anuli craßitudo capiat.

Cap. 19.

Sacra cœmeteria, in quibus, iuxtà antiquorum patrum institutum, mortui sepeliebantur, semper clausa retineantur, nec ad ea facilis pateat aditus animalibus, vel de-

ambu-

ambulationibus, aliisq; profanis hominum actionibus, eo sacro loco indignis, ex quibus, etiam sæpè contingit, vt cœmeteria violentur, & polluantur.

In medio cœmeteriorum Crux magna collocetur, & erigatur.

Nullæ vites, arbores, & stirpes cuiusuis generis, etiam quæ nullum fructum afferunt in cœmeterijs permittantur, & si quæ sunt euellantur. Herbas quoq; virentes, vel fœnum, quod animalium pabulo deseruiat, in cœmeterijs succrescere sacristæ non permittant, nec etiam in eis fiant lignorum strues, aut lapidum acerui; absint deniq; omnes aliæ res, quæ loci sanctitati, & religioni repugnant.

Cap. 20.

Licet fideles, qui in vera fide, pœnitentesq; in Domino moriuntur, Ecclesiastica sepultura sint decorandi, multi tamen reperiuntur, qui ab hoc munere pontificijs Sãctionibus sunt exclusi: quibus enim non

com

C. Sacris extra de sepultur. c. 2. 24. q. 1. Host. in sum. eod. tit. de sepult. §. quibus interdicatur.

communicamus viuis, nec defunctis communicare debemus (vt inquit Sanctus Leo Papa) Carebunt igitur Ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab Ecclesiastica vnione præcisi. videlicet

Nic. 3. in sua const. de qua in bullario pag. 31.

Iudei, Infideles, Hæretici, quod adeò verum est, vt si quis post mortem Hæreticus detegatur, à sepultura excludatur, Hæreticorum fautores & receptatores.

Item qui Hæreticis bona relinquunt, excommunicati præterea, & interdicti, qui publicè denuntiati sunt.

Qui Clericis, & alijs Ecclesiasticis personis, manus violentas publicè iniecerint.

Qui etiam saltem semel in anno non confessi, sacram Eucharistiam, tempore paschali non sumpserint.

Vsurarij manifesti, publici Blasphemi, Raptores, & qui in manifesto peccato mortali decesserint, cuius pænitentiam non egerint, & qui mortem sibi consciuerint, nisi præ fatuitate, aut furore id admiserint.

Mon

Monachi quoq; & fratres proprietarij, & qui in duello, aut torneamento decesserint.

Qui omnes superius enumerati si Parochorum negligentia, aliauè causa in Ecclesia, aut cœmeterio sepulti fuerint, cum ab alijs discerni possunt, exhumari debent, & Ecclesia, cœmeteriũuè reconciliari, & hæc corporum exhumatio fieri non poßit, nisi nostra auctoritate accedente, aliàs effodientès sepulturas, incurrunt sacrilegium. Abb. in c. Sacris in fine extra de sepult. Abb. in c. ad hęc de auct. & vsu pallij.

Paruuli sine baptismo ex hac vita migrantes, in loco sacro non sepeliantur.

Fœtus iam animatus si ex vtero matris mortuus extrahitur, cum ea sepeliri non debet, sed extrà Ecclesiam, aut cœmeterium, in loco non sacro, si verò extractus non sit, sed in vtero matris decedat, siuè animatus sit, siuè non, cum matre sepeliatur, cum sit portio viscerum eius.

De Canonicis, & Capitulis Cathedralis Ecclesiæ, & Collegiatarum.

Cap. 1.

ABſurdum profectò eſſet corrigere in membris, quæ vigere pateremur in capite; ideoq́; totius Cleri reformatio, à capitulo, & Canonicis noſtræ Cathedralis Eccleſiæ proficiſci debet: ſicut enim Eccleſia Auximana nobilitate, & antiquitate, cæteris præſtat, omniumq́; Eccleſiarum Vrbis, & Diœceſis mater eſt, & magiſtra, ſic etiam illi, quibus ſingulari diuinæ bonitatis munere datum eſt, in eadem Eccleſia altiſſimo famulari, doctrina, & ſanctitate cæteris omnibus præſtare debent, vt aliarum Eccleſiarum miniſtri, ab illis ſumant exempla virtutum; quapropter hortamur Canonicos omnes, vt dignitatis, ac nominis ſui memores,

Conc. Trid. ſeſſ. 24 c. 12 de reformat. circa fin.

memores, canonicè viuant, cum enim Canonici sint, æquum non est, ipsos viuere extrà Canones, & ea morum integritate polleant, vt meritò Ecclesiæ senatus dici poßit.

Cap. 2.

Archidiaconus, Archipræsbiter, alijq́; Canonicorum præpositi, curent praeesse, & prodesse, inuigilentq́; diligenter, ne aliquid prætermittatur ex ijs, quæ ad chori disciplinam, debitum Ecclesiæ seruitium, & ad rectam capituli administrationem pertinent, neuè absurdè, indecorè, aut præposterè aliquid fiat, illos verò, qui officio suo non satisfecerint, amanter obiurgent, & si non paruerint, nobis denuntient.

Cap. 3.

Functiones dignitati, & Canonicatui annexas, integrè persoluant per se ipsos, non autem per interpositam personam, nisi tamen legitimum impedimentum illos excuset omniaq́; pace mutua, & concordi voluntate peragant, sicut enim in vna Ecclesia col- Conc. Trid. sess. 24. c. 12 de reformat. vers. omnes verò.

locati sunt, & de vna communi mensa viuunt, sanguine Christi acquisita, sic etiam vno pacis, & charitatis vinculo, coniuncti esse debent; sicut nascentis Ecclesiæ ministri, quorum erat cor vnum, & anima vna.

Cap. 4

Ex Canonicis eligatur Hebdomadarius qui matutinum, Missam conuentualem, (quando missa iuxtà tabellam à nobis factam erit canonicalis) Vesperas, aliaq; officia diuina canat, fiatq; huiusmodi electio per turnum, vt aiunt, vel aliàs pro Ecclesiæ consuetudine. Si verò Hebdomadarius suo officio defuerit, trium dierum distributiones amittat.

Cap. 5.

Ne propter multorum Canonicorum eodem tempore absentiam, diuinus cultus omittatur, mandamus vt quo tempore Canonicis de iure communi, vel à Sacro Triden. Conc. abesse permissum est, si diutius triduo sint absuturi à nobis licentiam petant.

Conc. Trid. sess. 24. c 12 de refor.

Capi-

Cap. 6.

Capitulum Canonicorum conuocetur saltem semel in mense, nisi sapius vrgente necessitate, congregandum sit.

Ea autem adhibeatur cautio, vt nunquam in diebus fæstis, vel dum diuina celebrantur officia, capitulum habeatur.

Canonici omnes ad illud conueniant, & negligentes amittant distributiones illius diei.

In principio, & fine capituli, semper dicantur solitæ Orationes, cùm gratiarum actione per primum Canonicum in Capitulo existentem.

Cap. 7.

Sententiam in capitulo omnes modestè dicãt, & suo quisq; loco, non autem præposterè; omnesq; tam in proponendo, quam in respondendo, modestè, & grauiter se gerant; à verbis scurrilibus, iocosis, & contumeliosis, pœnitus abstineant, si quæ verò oborta fuerint altercationes, eas primus

arctiori gradu coniunctis, nisi nobis, cognita prius Ecclesiæ vtilitate, aliter disponere placuerit.

Cap. 13.

Capitulares deliberationes, & decreta per Canonicum Capituli Cancellarium, qui quolibet anno eligatur, in libro ad id destinato fideliter annotentur.

Cap. 14.

Licet in nostra visitatione fuerit à nobis præscripta forma Archiuij capitularis, nihilominus eiusdem visitationis decreta innouando, mandamus vt quolibet anno eligantur duo Canonici, qui Archiuij curam gerant, & Archiuij claues pœnes se retineant, scripturas, instrumenta, omniaq; alia capitularia iura, diligenter conseruent.

Munus etiam erit Archiuij custodum, accuratè intueri locationes bonorum capitularium iam finitas, vel de proximo finiendas, eaq; omnia capitulo significare, ne mensa capitularis ex huiusmodi negligentia aliquod

quod recipiat detrimentum.

Curent praterea Archiuista, vt in libro, iuxtà decretum nostra Visitationis confecto, registrentur per Notarium Capituli omnia instrumenta locationum, affictuum, concessionum in emphitheusim, cateraq; omnia ad Capitulum pertinentia; Quod commune registrum in Archiuio perpetuo asseruetur, ne lapsu temporis Capituli iura perire possint, cum his nostris temporibus hominum malitia eo prolapsa sit, ut arbitrentur se obsequium prastare Deo, cum bona Ecclesiarum usurpant.

Cap. 15.

Officiales in Capitulo electi officium ipsis iniunctum, recusare non possint, si qui verò à Capitulo grauamen accepisse pratendent, ad nos confugiant:

Cap. 16.

Iurent Canonici cum Canonicatus possessionem accipiunt, de non publicando personis extrà Capituli gremium, actiones Capitulares

cupata, quæ circum circa Crucem, cadauer, & feretrum fuerunt adhibita, nec non in Altaribus, reliquisq; locis, dum funerale officium celebratur accensa, ita Deo oblata, & diuinis vsibus addicta censeantur, vt Sacristiæ illius Ecclesiæ in qua cadauer sepelitur, vel aliarum Ecclesiarum, iuxtà distributionem ex locorum consuetudine faciendam, pleno iure sint applicata, nec Hæredibus Defuncti aliquo modo restituantur.

In anniuersarijs verò, quæ per defunctorum hæredes fieri solent, idem disponimus, vt cera, quæ (officio peracto) superierit, Sacristiæ censeatur applicata.

Cap. 11.

Quoniam ex multorum relatione audiuimus, & nos ipsi oculati testes sumus, quod Canonici nostræ Cathedralis Ecclesiæ, & aliarum Collegiatarum Diœcesis nostræ ad funera inuitati, huiusmodi pium officium, & omni charitate plenum, omittunt, sub præ-

ſub prætextu, quod aliquo cognationis, vel affinitatis gradu cum ipſo defuncto coniuncti ſint, ſæpeq́; eueniat vt tres, aut quattuor tantum Canonici, cum magno Capituli dedecore, & piarum mentium offenſione, in funeralium proceſsionibus conſpiciantur; cupientes huic malo opportunè prouidere, mandamus, vt in poſterum cum capitula ad funera erunt vocata, Canonici omnes, non legitimè impediti, qui vè ipſi defuncto, primo *vel ſecundo cognationis, vel affinitatis gradu coniuncti nō erunt, accedere teneantur ſub pœna amiſsionis omnium diſtributionum quotidianarum illius diei, quas ſibi inuicem condonare, & remittere non poſsint; licet ſperemus Canonicos noſtros, nō timore pœnæ, ſed charitatis intuitu, oneri ſuo ſatisfacturos. Si verò accideret, quod Canonici ad funera non conuenirent, decernimus, vt Crux Cathedralis, vel Collegiata Eccleſia nunquam efferatur, niſi præſente ſaltem maiori parte capituli.*

Cap. 12.

Eleamosina quæ in funeralibus persolui solet, inter præsentes tantum, & associantes diuidatur; Absentes verò, quamuis legitimè impediti, & infirmi, nihilominò percipiant.

Cap. 13.

Cum defunctorum corpora ad aliquam Ecclesiam custodiæ causa deferuntur, quoad Ecclesiastica tradantur sepulturæ, interdicimus, pœna excommunicationis proposita, ne ad eamdem Ecclesiam accedant consanguinei mortuorum, & affines, præsertim mulieres, vt circa feretrum (prout hactenus, factum fuisse audiuimus) plora tus, & clamores emittant, à domo Dei pœnitus alienos.

Cap. 14.

Catholica Ecclesia, Spiritu Sancto edocta piè statuit, fideles omnes in locis sacris sepeliri, sic enim eorum corpora, ab iniurijs malignorum spirituum, magis tuta redduntur,

& in ſepulchris dicitur eſſe requies mortuorum, ſuntq́; etiam munita patrocinio illius Sancti, cui dicata eſt Eccleſia, ac fideles viuentes, facilius mortuorum recordantur. C. Aurū 12. q. 2. c. non ęſtimemus 3. q. 2. c. cum grauia 13. q. 2.

Cap. 15.

Sepulturæ electionem omnibus liberam eſſe, etiam filijs familiâs Sacri Canones decreuerunt; ſi tamen aliquis, non facta ſepulturæ electione facto cedat, ſepeliatur in ſua Parochiali Eccleſia, vel in ſepultura ſuorum maiorum. C. pri. de ſepult. in 6.

Cap. 16.

In omnibus Parochialibus Eccleſijs, in quibus non reperiuntur, mandamus fieri duo ſepulcra, vnum Parochorum, Rectorumuè earumdem Eccleſiarum, alterum verò pro pauperibus, & peregrinis, qui propriam ſepulturam non habent.

Cap. 17.

Noua ſepulcra fieri in Eccleſijs noſtræ Ciuitatis, & Diœceſis absq; noſtra licentia prohibemus, quæ verò fieri conceſſum erit,

Ll ij non

Pius V. in cõstit. Quinta, quę incipit, cumprimum impressa in bullario pag. 924. vers. & vt in Ecclesijs

non construantur in excelso loco, aut supra Ecclesiæ pauimentum, nec fiat propè Altaria (vt Varensi Concilio cautum est) sed os sepulcrale ab Altarium scabello distet saltem palmis sex, In choro, & intrà fines maioris Cappellæ, sepulcra fieri prohibemus.

Cap. 18.

Sepulcra omnia, ne vllo vnquam tempore fœtorem exhalent, operiantur dupplici integumento, ita tamen, vt inter vtrumq; aliquid spatij relinquatur. Superius verò integumentum fiat ex marmore, vel alio solido, & expolito lapide, affigaturq; in medio ipsius, anulus ferreus, ad illius eleuandi vsum, ita tamen, vt nihil emineat, sed tantumdem in lapide excauetur, quantum anuli craßitudo capiat.

Cap. 19.

Sacra cœmeteria, in quibus, iuxtà antiquorum patrum institutum, mortui sepeliebantur, semper clausa retineantur, nec ad ea facilis pateat aditus animalibus, vel deambu-

ambulationibus, alijsq́; profanis hominum actionibus, eo sacro loco indignis, ex quibus, etiam sæpè contingit, vt cœmeteria violentur, & polluantur.

In medio cœmeteriorum Crux magna collocetur, & erigatur.

Nullæ vites, arbores, & stirpes cuiusuis generis, etiam quæ nullum fructum afferunt in cœmeterijs permittantur, & si quæ sunt euellantur. Herbas quoq́; virentes, vel fœnum, quod animalium pabulo deseruiat, in cœmeterijs succrescere sacristæ non permittant, nec etiam in eis fiant lignorum strues, aut lapidum acerui; absint deniq́; omnes aliæ res, quæ loci sanctitati, & religioni repugnant.

Cap. 20.

Licet fideles, qui in vera fide, pœnitentesq́; in Domino moriuntur, Ecclesiastica sepultura sint decorandi, multi tamen reperiuntur, qui ab hoc munere pontificijs Sāctionibus sunt exclusi: quibus enim non

com

C. Sacris extra de sepultur. c. 2. 24. q. 1. Host. in sum. eod. tit. de sepult. §. quibus interdicatur.

communicamus viuis, nec defunctis communicare debemus (vt inquit Sanctus Leo Papa) Carebunt igitur Ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab Ecclesiastica vnione praecisi. videlicet

Nic. 3. in sua const. de qua in bullario pag. 31.

Iudei, Infideles, Haeretici, quod adeò verum est, vt si quis post mortem Haereticus detegatur, à sepultura excludatur, Haereticorum fautores & receptatores.

Item qui Haereticis bona relinquunt, excommunicati praeterea, & interdicti, qui publicè denuntiati sunt.

Qui Clericis, & alijs Ecclesiasticis personis, manus violentas publicè iniecerint.

Qui etiam saltem semel in anno non confessi, sacram Eucharistiam, tempore paschali non sumpserint.

Vsurarij manifesti, publici Blasphemi, Raptores, & qui in manifesto peccato mortali decesserint, cuius paenitentiam non egerint, & qui mortem sibi consciuerint, nisi prae fatuitate, aut furore id admiserint.

Mon

Monachi quoq; & fratres proprietarij, & qui in duello, aut torneamento decesserint.

Qui omnes superius enumerati si Parochorum negligentia, aliauè causa in Ecclesia, aut cœmeterio sepulti fuerint, cum ab alijs discerni possunt, exhumari debent, & Ecclesia, cœmeteriũuè reconciliari, & hac corporum exhumatio fieri non poßit, nisi nostra auctoritate accedente, aliàs effodientes sepulturas, incurrunt sacrilegium. Abb. in c. Sacris in fine extra de sepult. Abb. in c. ad hęc de auct. & vsu pallij.

Paruuli sine baptismo ex hac vita migrantes, in loco sacro non sepeliantur.

Fœtus iam animatus si ex vtero matris mortuus extrahitur, cum ea sepeliri non debet, sed extrà Ecclesiam, aut cœmeterium, in loco non sacro, si verò extractus non sit, sed in vtero matris decedat, siuè animatus sit, siuè non, cum matre sepeliatur, cum sit portio viscerum eius.

DE

De Canonicis, & Capitulis Cathedralis Ecclesiæ, & Collegiatarum.

Cap. 1.

ABsurdum profectò esset corrigere in membris, quæ vigere pateremur in capite; ideoq; totius Cleri reformatio, à capitulo, & Canonicis nostræ Cathedralis Ecclesiæ proficisci debet: sicut enim Ecclesia Auximana nobilitate, & antiquitate, cæteris præstat, omniumq; Ecclesiarum Vrbis, & Diœcesis mater est, & magistra, sic etiam illi, quibus singulari diuinæ bonitatis munere datum est, in eadem Ecclesia altissimo famulari, doctrina, & sanctitate cæteris omnibus præstare debent, vt aliarum Ecclesiarum ministri, ab illis sumant exempla virtutum; quapropter hortamur Canonicos omnes, vt dignitatis, ac nominis sui memores,

Conc. Trid. sess. 24 c. 12 de reformat. circa fin.

memores, canonicè viuant, cum enim Canonici sint, æquum non est, ipsos viuere extrà Canones, & ea morum integritate polleant, vt meritò Ecclesiæ senatus dici possit.

Cap. 2.

Archiadiaconus, Archipræsbiter, alijq; Canonicorum præpositi, curent praesse, & prodesse, inuigilentq; diligenter, ne aliquid prætermittatur ex ijs, quæ ad chori disciplinam, debitum Ecclesiæ seruitium, & ad rectam capituli administrationem pertinent, neuè absurdè, indecorè, aut præposterè aliquid fiat, illos verò, qui officio suo non satisfecerint, amanter obiurgent, & si non paruerint, nobis denuntient.

Cap. 3.

Functiones dignitati, & Canonicatui annexas, integrè persoluant per se ipsos, non autem per interpositam personam, nisi tamen legitimum impedimentum illos excuset omniaq; pace mutua, & concordi voluntate peragant, sicut enim in vna Ecclesia col- Conc. Trid. sess. 24. c. 12 de reformat. vers. omnes verò.

 locati

locati sunt, & de vna communi mensa viuunt, sanguine Christi acquisita, sic etiam vno pacis, & charitatis vinculo, coniuncti esse debent; sicut nascentis Ecclesiæ ministri, quorum erat cor vnum, & anima vna.

Cap. 4

Ex Canonicis eligatur Hebdomadarius qui matutinum, Missam conuentualem, (quando missa iuxtà tabellam à nobis factam erit canonicalis) Vesperas, aliaq; officia diuina canat, fiatq; huiusmodi electio per turnum, vt aiunt, vel aliàs pro Ecclesiæ consuetudine. Si verò Hebdomadarius suo officio defuerit, trium dierum distributiones amittat.

Cap. 5.

Ne propter multorum Canonicorum eodem tempore absentiam, diuinus cultus omittatur, mandamus vt quo tempore Canonicis de iure communi, vel à Sacro Triden. Conc. abesse permissum est, si diutius triduo sint abfuturi à nobis licentiam petant.

Conc. Trid. sess. 24. c. 12 de refor.

Capi-

Cap. 6.

Capitulum Canonicorum conuocetur saltem semel in mense, nisi sapius urgente necessitate, congregandum sit.

Ea autem adhibeatur cautio, vt nunquam in diebus festis, vel dum diuina celebrantur officia, capitulum habeatur.

Canonici omnes ad illud conueniant, & negligentes amittant distributiones illius diei.

In principio, & fine capituli, semper dicantur solitæ Orationes, cum gratiarum actione per primum Canonicum in Capitulo existentem.

Cap. 7.

Sententiam in capitulo omnes modestè dicăt, & suo quisq; loco, non autem præposterè; omnesq; tam in proponendo, quam in respondendo, modestè, & grauiter se gerant; à verbis scurrilibus, iocosis, & contumeliosis, pœnitus abstineant, si quæ verò oborta fuerint altercationes, eas primus

Canonicus ſedare ſtudeat.

Cap. 8.

Deliberationes capitulares, fiant omninò per ſecreta ſuffragia, excluſis à capitulo Canonicis illis, quorum de re agitur, quod ſi aliter factum ſit, decreta omnia nullitatis vitio ſubiaceant.

Cap. 9.

Vbi duæ Canonicorum partes conuenerint, & capitulo interfuerint, illud dicatur obtentum, & executioni demandetur, quod à maiori parte Canonicorum præſentium ſtatutum fuerit.

Cap. 10

Et quoniam celeritas conſilio eſt inimica, mandamus, vt in negotijs grauioribus, in quibus diſcuſſio, & conſultatio requiritur, res in vno capitulo proponatur, & in ſubſequenti, quid agendum ſit, deliberetur, ſiq; negotium, celerem expeditionem deſideret, poterit poſt triduum, aliud capitulum conuocari.

Cap. 11.

Decernimus insuper, vt quotiescunq; in Capitulo esset agendum de remißione pecuniæ Ecclesiæ debitæ, de alienationibus, & locationibus, ad longum tempus bonorum capitularium, de mutatione, vel reuocatione antiquarum constitutionum, & consuetudinum; capitulum non congregetur sine nostra licentia, vel Vicarij generalis, aliàs deliberationes nullæ sint, & decanus siuè alij ad quos capituli intimatio spectat, arbitrio nostro puniantur.

Cap. 12

Caueant etiam Canonici, ne capituli bona, redditus, & prouentus per se, vel per interpositam personam ad modicum etiam tempus conducant; aliàs conductiones huiusmodi nullæ sint, & tam conductores, quam etiam alij Canonici, locationibus huiusmodi consentientes, graui pœna afficiantur.

Idemq; statuimus de Canonicorum consanguineis, & propinquijs secundo, vel

arctiori

arctiori gradu coniunctis, nisi nobis, cognita prius Ecclesiæ vtilitate, aliter disponere placuerit.

Cap. 13

Capitulares deliberationes, & decreta per Canonicum Capituli Cancellarium, qui quolibet anno eligatur, in libro ad id destinato fideliter annotentur.

Cap. 14.

Licet in nostra visitatione fuerit à nobis præscripta forma Archiuij capitularis, nihilominus eiusdem visitationis decreta innouando, mandamus vt quolibet anno eligantur duo Canonici, qui Archiuij curam gerant, & Archiuij claues pœnes se retineant, scripturas, instrumenta, omniaq; alia capitularia iura, diligenter conseruent.

Munus etiam erit Archiuij custodum, accuratè intueri locationes bonorum capitularium iam finitas, vel de proximo finiendas, eaq; omnia capitulo significare, ne mensa capitularis ex huiusmodi negligentia ali-

quod

quod recipiat detrimentum.

Curent præterea Archiuistæ, vt in libro, iuxtà decretum nostræ Visitationis confecto, registrentur per Notarium Capituli omnia instrumenta locationum, affictuum, concessionum in emphitheusim, cæteraq; omnia ad Capitulum pertinentia; Quod commune registrum in Archiuio perpetuo asseruetur, ne lapsu temporis Capituli iura perire possint, cum his nostris temporibus hominum malitia eo prolapsa sit, ut arbitrentur se obsequium præstare Deo; cum bona Ecclesiarum usurpant.

Cap. 15.

Officiales in Capitulo electi officium ipsis iniunctum, recusare non possint, si qui verò à Capitulo grauamen accepisse prætendent, ad nos confugiant:

Cap. 16.

Iurent Canonici cum Canonicatus possessionem accipiunt, de non publicando personis extrà Capituli gremium, actiones Capitulares

tulares, hancq; iurisiurandi Religionem integrè seruent, cum ex huiusmodi publicatione, odia, ac inimicitiæ sæpe exoriri soleāt, & libera Canonicorum voluntas impediatur, qui ne cum alijs inimicitias contrahant, & odia sibi parent, quod rectè sentiunt, non loquuntur.

Si quis vero præsumpserit quoquo modo reuelare, vel referre gesta, & dicta in Capitulo, præter iurisiurandi contemptam Religionem, incurrat etiam pœnam excommunicationis.

Cap. 17.

In reliquis verò seruentur decreta nostræ visitationis, laudabilesq; Capitulorum constitutiones, & consuetudines, dummodo decretis Concilij Tridentini, & nostris constitutionibus Synodalibus non aduersentur.

Cap. 18

Canonici mortui funus, capituli sumptibus, à reliquis Canonicis fiat, & pro eius anima Missa conuentualis celebretur, omnesq;

omnesq; eiusdem Ecclesiæ Canonici, in Sacro Presbyteratus ordine constituti, pro defuncto fratre Missam celebrent.

De vita, & honestate Clericorum.

Cap. 1.

ADeò in hoc corruptissimo seculo Populus Christianus, ac præsertim clericalis vitæ homines, à maiorum suorum candore degenerarunt, vt nisi oculos ad præterita tempora conuertamus, & antiquorum Patrum dicta, & facta, veluti absolutissimum sacerdotalis vitæ exemplum, antè oculos proponamus, vix intelligi posit huius professionis amplitudo. Hortamur itaq; clericos omnes, vt antiqua nascentis Ecclesiæ tempora, & veterem clericorum sanctitatem, sibi proponant imitandam, & sicuti sacro ordine, & regali Sa-

cerdotio, in altiorem sublati locum; spectaculum facti sunt mundo, Angelis, & Hominibus, sic etiam cælestem vitam sanctis moribus, & irreprahensibili conuersatione, exprimere studeant, laudabiliter viuant, sed nõ laudari cupiant, ne ob inanem gloriolam, veram gloriam amittant. Charitatem in primis, tanquam virtutum omnium parentem, ac Seminarium sectentur, humilitatem, patientiam, iustitiam temperantiam, cæteraq́; pietatis officia colant, omnésq́; actiones suas interiores, & exteriores ità componant, vt scrutatori cordium, corpore & mente placere poßint.

Cap. 2.

Clericorum habitus simplex sit, ac modestus, nõ sericus, aut nimis exquisitus, nec etiam sordidus, aut neglectus, cum in clericorum vestitu, tam exquisitæ delitiæ, quam affectatæ sordes sint vitandæ. Conc. Trid. sess. 14. c. 6. de refor.

Superiorem, & interiorem vestem talarem, nigri tantum coloris continuè gerant, iuxtà

iuxtà constitutionem desuper aditam à Sisto Papa Quinto recolendæ memoriæ, sub pœnis in dicta constitutione contentis. In itinere autem vestibus breuioribus vti poterunt, ità tamen vt longitudine genua excedant, & clericalem modestiam præseferant. Quod etiam tolerari poterit in clericis ruralibus, & pauperibus, qui in minoribus ordinibus constituti sunt.

Vestes domesticas à ceruice in tergum reflexas (quas ciamarras vocant) canonici, alijq; Presbyteri in Ecclesia, & in choro, vel cum aliquod Ecclesiasticum munus erit obeundum, non deferant, præsertim festis diebus.

Cap. 3.

Pileo in Ecclesia nunquam vtantur, extrà verò, pilei vsum permittimus pluuiæ, vel frigoris necessitate vrgente, sitq; pileus simplex, & forma depressa; nec pileo vtantur in Capitulo, in nostro Palatio Episcopali, & in omnibus clericalibus Congrega

tionibus.

Cap.4.

Anulos non deferant, nisi alicui ob aliquem dignitatis gradum, sit permissum, & tunc vnus tantum, & simplex habeatur, qui semper deponatur in missa celebratione.

Cap.5.

Sudariola, chiroteca, vestes, aut alia odoribus delibuta, clericali modestiæ non conueniunt, non enim benè olet, qui benè semper olet; has igitur vanitates vitando, odorem illum habere studeant, de quo Diuus Paulus scribit. Christi bonus odor sumus in omni loco.

Cap.6.

Camisas ad collum, & ad manus crispas, vel artificio elaboratas non deferant, sed collari simplici modicè lato, & ad collum reflexo vtantur.

Cap.7.

Tonsuram, & clericalem coronam ad perfectioris vitæ professionem significandam

dam regiamq́; dignitatem declarandam, clerici omnes deferant; sit autem tonsura lata, & conspicua, eaq́; sæpe renouetur.

Pilos labri superioris præcidant, nec barbam ab vtroq́; latere intortam militari more deferant.

Cap. 8

Reticulum, aut subbiretum non ferant, nisi infirmæ valetudinis causa, illoq́; nunquam vtantur, in Missæ sacrificio absq́; nostra licentia.

Cap 9.

Habeant Clerici omnes cuiuscunq́; ordinis, propria superpellicia munda, atq́; decentia, illis autem induti, in Ecclesiæ foribus nõ stent, aut officinas adeant, vel per vias incedant, nisi cum aliquod Ecclesiasticum munus erit obeundum, quod superpellicium requirat. Ecclesiæ cui in ipsa ordinatione fuerint adscripti, inseruiant, aliàs eos clericalibus priuilegijs minimè gaudere declaramus iuxtà formam Sacri Conc. Trid. Conc. Trid. sess. 23. c. 6. de refor.

Cum

Cap. 10.

Cum arma clericorum sint virtutes, quibus à dextris, & à sinistris muniti esse debent, interdicimus clericis omnia armorum genera, tam offensiua, quam defensiua, excepto cultro, ad domesticum vitæ vsum accomodato. Si tamen per loca suspecta iter faciendum esset, nos vel Vicarius noster, cum id videbimus expedire, deferendi arma licentiam concedemus.

Cap. 11.

Ludos omnes alearum, & taxillorum fomites ocij, infamiæ ministros, mendaciorum, periuriorum, blasphemiarum, & scelerum omnium parentes, clericis districtè prohibemus.

Nec solum ludere interdicimus, sed etiam eos prohibitorum ludorum spectatores, aut participes esse nolumus, nec lusores in proprijs ædibus recipere, & permittere, siq; aliquis in præmissis deliquerit, præter alias pœnas à Sacris Canonibus impositas,

tas, grauiter, etiam arbitrio nostro punietur.

Cap. 12.

Clerici, laicis in quacunque dignitate existentibus non inseruiant, nec illis vlla in re, quæ clericalem ordinem dehonestet, operam nauent, neque locent.

Caueant Clerici, ne mulieres, quamuis illustres, doceant legere, scribere, aut canere, alioue musico instrumento sonare, absque nostra licentia in scriptis obtenta.

Cap. 13.

Clerici tam minorum, quam maiorum ordinum laruati, siue personati non incedant, nec publicas, vel priuatas choreas agant, siue spectent. Conc. Trid. sess. 22. c. 1 de refor.

Cap. 14.

Publica laicorum conuiuia omninò vitent, sique aliquando eis interesse cogantur, eam seruent modestiam, quæ cæteris exemplo sit, nec alios ad compotationes importunè inuitent.

Fabulis

Cap. 15.

Fabulis, comœdijs, alijsq́; profanis spectaculis non intersint, nec etiam circulatorum sint spectatores, ne aures, & oculi sacris officijs addicti, impuris actionibus, & sermonibus polluantur.

Cap. 16.

Cum deceat Sacerdotes, & clericos Hymnos, & Psalmos continuè recitare, & deuota modulatione canerè, interdicimus clericis omnibus, ne in nuptialibus laicalibusq́; conuiuijs, canendi operam suam nauent, siuè merces intercedat, siuè gratis id fiat, etiam sub prætextu cognationis, vel amicitiæ, non debent enim voce sua, diuinis laudibus dicata, abuti ad profanas, amatoriasq́; cantiones, & ad delitiosa laicorum oblectamenta.

Cap. 17.

A venatione, & aucupio præsertim dominicis festisq́; diebus abstineant. Canes verò, accipitres, vel alias aues venaticas

cas domi non retineant, nec alant, nè Ecclesiastici reditus, qui in pauperibus piè alendis sunt dispensandi, dissipentur in victu canum, & auium, cum Dei offensione, & populi scandalo. Quis enim his miserrimis temporibus non erubescet sumere panem de manibus filiorum, & dare canibus?

Cap. 18.

Post primam noctis horam æstiuo tempore, hyemali verò post secundam foris non vagentur, nisi Parochialibus officij exercendi, aliauè necessaria causa, exeundum sit, & tunc clericalem habitum, & lumen deferant.

Abstineant à nocturnis cantilenis, nec noctu canentibus aggregentur.

Cap. 19

Ocium malorum omnium fomitem vitent, considerentq; Ecclesiastici homines, se non ad inertiam, atq; ignauiam, sed ad Ecclesiasticæ militiæ labores vocatos esse, qua-

propter, quicquid temporis à diuinorum officiorum recitatione vacuum habent, in sacrarum litterarum studijs, alijsq; religiosis officijs vtiliter dispensent, nemini dantes vllam offensionem.

Cap. 20.

Clerici omnes in Ciuitate commorantes ad conciones, & lectiones sacræ scripturæ continuè accedant, præcipuè verò non omittant declarationem casuum conscientiæ, nuper à nobis in nostra Cathedrali Ecclesia institutam, si quis autem in hoc absq; legitimo impedimento negligens fuerit, Vicarius noster grauiter in eum animaduertat.

Cap. 21.

Bibliotheca Clericorum, & si paucis libris contenta sit, id tamen maximè cupimus, vt non sint libri sinè lectore, qui à carie, & pulueribus consumantur. Clerici pauperes, saltem hos libros habeant, Breuiarium, Officium B. Virginis, Missale,

Ca-

Calendarium Auximanum, Cathechiſmum, Sacram Bibliã, Sacerdotale, Concilium Trid. Summam Sacramentorum, Summam Nauarri, vel aliam, puta Antoninam, Silueſtrinam, aut Armillam.

Clerici verò ditiores alios Eccleſiaſticos, & probatos libros addere poterunt, eorum arbitrio, mandamus autem à Clericorum Bibliotheca, pœnitus abeſſe libros amatorios, res obſcœnas, & inanes continentes.

Cap. 22.

Clerici alienæ Diœceſis, qui aliquo commiſſo delicto, ad hanc noſtram Ciuitatem, vel Diœceſim impoſterum confugient, ſe minimè tutos eſſe ſciant, cum primum enim à proprijs Epiſcopis petiti fuerint, ad eoſdem remittentur.

Ne Clerici negociis secularibus se immisceant.

Cap. 1.

D. Paul. 2. ad Thim. c. 2.

Clericos negociatores, veluti pestem fugiendos esse, Sacræ Scripturæ monemur eloquio, nemo enim militans Deo, negocijs secularibus se debet implicare; mandamus itaq; Clericis omnibus in sacris constitutis, aut beneficiatis, vt ab omni mercatura, & illicita negociatione abstineant, neq; etiam in aliorum negotijs, & mercaturis se tanquam interpretes, mediatores, siuè proxenetas interponant, sed mente pura, libera, & quieta Creatori inseruiant, nè propter ipsos, blasphemetur in gentibus nomen Domini, sunt enim Christi mercatores, & negociatores ad animas lucrandas constituti; nec debent thesaurizare thesaurum in terra, sed bonorum operum abun-

abundantia facere sibi thesauros in deficientes in Cœlis, vbi neq; erugo, neq; tinea demolitur, & vbi fur non appropriat, nec furatur.

Cap. 2.

Aliena prædia, etiam Ecclesiastica, non conducant, nec frumentum, vinum, oleum, aut alios terræ fructus, vltra proprium vsum emant, sub pœnis contentis in constitutione piæ memoriæ Gregorij xiij. & alijs arbitrio nostro imponendis.

Cap. 3.

Pro alijs non fide iubeant, cum sæpe eueniat, ex huiusmodi fideiussionibus, eos in carcerem detrudi, & ad paupertatem redigi, cum maximò clericalis ordinis dedecore.

Cap. 4

Tutelas, aut curas testamentarias, vel datiuas non suscipiant, sine nostra, vel officialium nostrorum licentia in scriptis obtinenda, quæ tamen non passim concedatur; sed causa cognita, & pupillorum vrgente ne-

necessitate.

Cap. 5.

Tabellionatus officium non exerceant in profanis negocijs, in Ecclesiasticis verò raro id faciant, & necessitate compulsi, exceptis tamen causis fidei, in quibus Clerici seculares, & regulares, qui dum erant in seculo, tabellionatus officium habebant, liberè illud exercere possunt; quamuis in Sacris ordinibus sint constituti.

Ita disposuit, Vrban. iiij. in const. de qua in Bul. fol. 26

Cap. 6.

Phisicam, aut Chirurgiam non exerceāt, quamuis gratis id facerent, Principum, aut aliorum laicorum, cuiuscumq; condicionis existant, negocia non gerant, absq; nostra licentia.

Cap. 7

Coram Iudicibus laicis Aduocati, vel Procuratoris officio non fungantur, nisi ab alijs in ius vocati, causam suam, vel ad suam Ecclesiam spectantem agerent, vel nisi propinquorum, orfanorum, viduarum,

C. deniq; 14 q. 5. c perlatum, dist. 88. c. obseruandum. 15. q. 11 c. 2. de postulan. §. Deo au

&

& aliarum miserabilium personarum, causas tuerentur, semper autem facultate à nobis in scriptis obtenta. tem amabiles in autent. de sanctiss. Episc.

Cap. 8.

Interdicimus etiam Clericis, ne in foro seculari, & coram Iudicibus laicis testimonium ferre possint, sine nostra, vel Vicarij nostri generalis licentia, in qua concedenda, id erit præcipuè animaduertendum, vt causa sit mere ciuilis, & quod ex Clerici testimonio sequi non possit rerum, aut honoris offensio, vel notabilis diminutio, aut etiam membrorum mutilatio, mors ciuilis, aut naturalis, ne propter hoc, Clerici irregularitatem incurrerent.

Si verò Clérici, absq; facultate à nobis obtenta, coram Iudicibus laicis testimonium ferre præsumpserint, eorum attestationes sint ipso iure nullæ, ac præterea arbitrio nostro seuerè puniantur.

DE

De Clericis non residentibus.

Cap. I.

PAstoris custodia, suiq; gregis ocularis inspectio, tam vtilis, atq; necessaria semper visa est, vt Sacrum Conc. Trid. meritò dixerit, mandato non humano, sed diuino id praeceptum esse, & in hoc praecipuè laborauerit, vt omnes Animarum curatores, ad residentiam reuocaret; Non enim Ecclesiasticis personis opulenta beneficia, ad luxum fuerunt aßignata, sed vt diuino cultui, & animarum saluti libentius, ac liberius vacarent; & quamuis (teste Dionisio Areopagita) omnium diuinorum diuinißimum sit, cooperari Deo in salutem animarum, voluit tamen clementißimus Dominus, qui figmentum nostrum optimè nouit, vltrà aeternam mercedem, etiam temporale

Conc. Trid. sess. 6. de reformat. c. 1. sess. 23. c. 1. de refor. Pius iiij. in sua cōstit. super residentia de qua in bullario. fol. 832 Pius V. in alia constit. fol. 1021.

temporale præmium huiusmodi cooperatoribus constituere.

Cap. 2.

Parochi omnes, aliiq́ beneficia Ecclesiastica obtinentes, quibus animarum cura adiuncta est, personalem residentiam die, noctuq́ in suis Parochijs faciant, nec per modicum quidem tempus abesse præsumant alias sciant præter mortalis peccati reatum, quem incurrunt, & alias pœnas à iure statutas, eos pro rata temporis, quo abfuerint suos fructus non facere, nec tuta conscientia, etiam alia declaratione non subsequuta, illos retinere posse, iuxtà eiusdem Concilij Trident. Decretum.

Conc. Trid. d. sess. c. de reform. Pius iiij. in const. edita super residentia, & Pius V. in alia const. de residentia Rectorum Paroch.

Cap. 3.

Si verò Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, aut euidens Ecclesiæ vtilitas postulent aliquando; vt Curati ab eorum Ecclesijs absint, non tamen discedant absq́ nostra, vel nostri Vicarij generalis licentia in scriptis obtenta,

nos enim causa cognita, & probata, si id videbimus expedire, discedendi licentiam concedemus, relicto idoneo Cappellano ad curam animarum approbato, qui loco ipsius Ecclesiæ inseruiat. licentiæ autem huiusmodi nunquam concedantur vltrà bimestre tempus, teneanturq́; Parochi, qui de nostra licentia abfuerint; intrà quindecim dies post quam ad Ecclesiam suam redierint, nos de ipsorum reditu voce, vel litteris, certiores facere, aliàs perindè habeantur, ac si abfuißent sine licentia.

Cap. 4.

Sacro Aduentus tempore, & in Natiuitate Domini, Quatragesima, Pascha Resurrectionis, Pentecoste, Solemnitate Corporis Christi, & titulari festo ipsius Ecclesiæ, caueant Parochi; ne vnquam ab eorũ Ecclesijs absint, cum his præcipuè temporibus, ob sacramentorum frequentationem Parochi præsentia sit necessaria.

Causa

Cap. 5.

Causa studij absq; nostra licentia nemini abesse liceat, & gratia à Sede Apostolica obtenta de non residendo, & percipiendo fructus studiorum prætextu, non valeant, nisi etiam noster consensus accesserit, iuxtà constitutionem Pij Quarti. Pius iiij. in sua conit. de qua in Bulla. fol. 831.

Licentiæ verò huiusmodi de non residendo studiorum intuitu, concedantur cum infrascriptis conditionibus.

Vt in publico, & celebri Gymnasio Sacræ Theologiæ, vel Iuri Pontificio studeant.

Vt (præsupposita legitima ætate) infra annum ad subdiaconatum promoueantur.

Vt singulis mensibus ad nos transmittãt authenticum Doctoris sui testimonium, de progressu in studijs facto.

Vt incedant semper in habitu, & tonsura.

Licentiæ verò prædictæ sint ad summum quinquennales.

Cap. 6.

Parochus, etiam ad modicum tempus absuturus, vt animarum saluti consulat, & Populi querelas, ac strepitus tollat, intrà Missarum solemnia sui discessus causam indicet, & propter casus inopinatos curam Animarum alicui probato Sacerdoti commendet.

Cap. 7.

Reperiuntur non nulli, qui veteribus inimicitijs, & quandoq; nouis simulatis, & ex eorum defectu ortis permultos annos à sua Ecclesia abesse non erubescunt, Cappellanis mercẽnarijs, cum magno Populorum scandalo curam Animarum committentes. Nos igitur hac præsenti constitutione decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli, qui in posterum sub inimicitiarum prætextu in proprijs Ecclesijs tutò residere non posse prætendent, teneantur infrà sex menses inimicitias componere, vel beneficia resignare, aut cum alijs permutare,

aliàs

aliàs Ecclesias huiusmodi Pastoris solatio destitutas, semestri tempore elapso, & vna pro trina monitione præmissa, vacantes declarabimus, inimicitiarum excusatione nullatenus admissa.

Cap. 8.

Clerici omnes, cuiuscunq; ordinis existant, vltra tres dies à Diœcesi abfuturi, non discedant absq; nostra, vel Officialium nostrorum licentia.

Cap. 9.

Vicarij foranei poßint in Diœcesi concedere Parochis licentiam discedendi, dummodo triduum non excedat.

Teneantur etiam Vicarij prædicti Curatorum absentiam statim nobis significare, idq; etiam iniungimus Parocho viciniori; si verò in hoc negligentes fuerint, de alieno delicto pœnas dabunt.

DE

De Parochis Vrbanis, & Diœcesanis illorumq; officio, & cura.

Cap. 1.

PArochi, tanquam speculatores, & in messe Episcopo commissa, operarij à Domino constituti, indefessè laborent; vt fideles omnes suæ Parochiæ, tanquam purum triticum, & ab omni zizania mundum congregentur in horrea cœlestia.

Cap. 2.

Propriam Parochiam (hac enim de causa parochiarum distinctio facta est) sæpe perlustrent, & visitent, inquirantq; diligenter, an intra illius fines reperiantur aliqui hæresi contaminati, aut suspecti, vel hæreticorum libros detinentes, quos omnes statim denuncient, Idem seruent de meretricibus, Blasphemis, Vsurarijs, Adulteris, Lu-

Conc. Trid. sess. 14. cap. 9. de refor.

Lusoribus, Maleficis, Superstitiosis, & alijs publicis peccatoribus.

Cap. 3.

Curam habeant specialem de festorum dierum cultu, ieiuniorum obseruatione, & lectione doctrinæ Christianæ, doceantq́; quomodo dies festi colendi, & sanctificandi sint quomodo ieiunandum, & quæ peccati grauitas in violandis ieiunijs. Conc. Trid. sess. 24. c. 7. de refor & sess. 25. in fine in c. de dilectu ciborũ ieiun. & diebus festis.

Cap. 4

Pascant in primis plebem suam prædicatione verbi Dei, salutaribus monitis, Sacramentorum administratione, bono exemplo, assidua oratione, & frequentibus sacrificijs, cognoscantq́; tanquam boni Pastores, & appellent nominatim oues eis comissas. Conc. Trid. sess. 5. c. sec. de refor. & sess. 23. c. pr. de reform.

Conficiant Cathalogum Animarum iuxtà formam à nobis in visitatione præscriptam.

Habeant etiam libros Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, & Mortuorum.

Pau-

Cap. 5.

Conc. Trid. sess. 25. c. 1. de refor.

Pauperum, Viduarum, Pupillorum, Infirmorum, aliarumq; miserabilium personarum, in sua Parochia existentium præcipuam curam gerant, & tanquam patres pauperum eis consolatione, commendationibus, & opibus subueniant, ne in conspectu Domini rei sint violatæ charitatis, sæpeq; memoria repetant dictum Beati Ambrosij, quod ideo fideles ministris Ecclesiæ diuitias obtulerunt, vt per eorum manus ad pauperes peruenirent. Curent inimicitias, & odia à Parochiæ suæ finibus remouere, pacemq; inter dissidentes componere.

Cap. 6.

Parochi domui suæ, alioue loco ludum litterarium non aperiant, nec exerceant, nisi id à nobis aliquando ob eorum inopiam fuerit specialiter concessum, nunquam tamen permittatur, vt huiusmodi munus extra propria Parochiæ fines exerceant.

Nec etiam pueros sibi in disciplinam traditos,

ditos, certa pacta mercede in Domo sua suscipiant, neq; alant.

Cap. 7.

Parochi omnes, qui Parochiale domicilium non habent, intra suæ Parochiæ fines domum conducant eidem Ecclesiæ, quo fieri poterit, proximiorem, ibiq; continuè habitēt, cibum, & somnum capiant.

Si verò Canonici ex dispensatione Apostolica Parochiales Ecclesias obtineant, in eisdem etiam personaliter resideant; nulloq; parochiali munere desint sub pœnis, & censuris contentis in constitutione fœlicis recordationis Pij V. de residentia Rectorum Ecclesiarum parochialium.

Pius V. in sua const. de sup. edita, quæ habetur in bull. nuper impresso pag. 1021

Cap. 8.

Parochi omnes in parochiali Ecclesia singulis festis diebus hora consueta Vesperarum officium peragant, si aliquos habuerint coadiutores alternatim, vt moris est; si verò soli fuerint, ipsimet psallant alta, & intelligibili voce, ità vt ab existentibus in Ec-

clesia exaudiantur.

Cap. 9.

Cum autem in pracedenti Synodo, piè ac prudenter à Pradecessore nostrò Cornelio Firmano fuerit decretum, vt parochi, prasertim in Terra Montisfiliorum Otrani, teneantur in omnibus festis diebus accedere ad Ecclesiam maiorem, plebem nuncupatam, & plebanum coadiuuare in celebratione missa conuentualis, & Vesperarum; nos decretum huiusmodi confirmando, mandamus plebano pradicto pro tempore existenti, vt in solemnitatibus Sanctorum, quibus parochiales Ecclesia sunt specialiter dicata, teneatur. & ipse vicem reddere, & Parochos in ipsis festis titularibus coadiuuare in diuinorum officiorum celebratione.

Cap. 10

Cum verò Parochi nullum pietatis officium in coadiuuanda salute eorum, qui fidei sua commissi sunt, pratermittere debeāt, id etiam prastent, vt audita alicuius morte,

psalmum De profundis, deuotè dicant, vna cum oratione ad hoc officij genus pertinente, vt Deus illius animæ misereatur, cuius etiam ipsi in die iræ rationem sunt reddituri.

Cap. 11

Et quoniam à nobis Parochis iniunctum est, vt multa decreta Concilij Tridentini, aliorumq; Conciliorum, nec non constitutiones nonnullas in præsenti Synodo æditas certis anni temporibus inter Missarum solemnia populo promulgent: Visum est pro maiori parochorum commoditate, & ad succurrendum memoriæ labilitati, decreta omnia promulganda hic ordinatè referri.

Sunt autem infrascripta.

Lateranensis Concilij Decretum, Quod incipit. Omnis vtriusq; sexus, legatur, & publicetur prima Dominica Aduentus, & Quatragesimæ. Decretum Concilij Trid. de clādestinis matrimonijs in principio anni: eiusdem Concilij decretum contrà non sol-

uentes decimas in die Pentecostes, & deinde sæpius prout parochis expedire visum fuerit.

Aliud eiusdem Concilij Decretum, quod incipit. Si quem Clericorum, contra vsurpantes bona, & iura Ecclesiastica. Secunda Dominica Quatragesimæ.

Decretum Synodale contra non denunciantes hæreticos, vel de hæresi suspectos. Prima Dominica Quatragesimæ, & Aduentus.

Item aliud Decretum Synodale contra Notarios non denuntiantes legata pia. In principio Anni.

Cap. 12

Parochos vrbanos, ac Diœcesanos agrotantes Parochi viciniores visitare teneantur, omniaq; pietatis officia circa Sacramentorum administrationem, & animæ commendationem præstare non omittant, similem, & ipsi ab alijs misericordiam expectantes.

Cap. 13.

Ad Parochi mortui funus parochi omnes illius loci, in quo habitant, etiam non inuitati, accedere teneantur, & pro ipsius animæ salute Missam deuote celebrare.

De rebus Ecclesiæ non alienandis, locandis, aut pignorandis.

Cap. 1.

BOnorum Ecclesiasticorum locationes ad longum tempus, schedulis publicè propositis, vel factis publicationibus voce præconis semper fiant, & plus offerentibus locentur; quod si publicatio huiusmodi omissa fuerit, nullæ sint locationes, & locatores puniantur arbitrio nostro.

Cap. 2.

Ecclesiarum bona, quæ in emphitheusim concedi, nec ad longum tempus locari consue- Conc. Trid. sess. 25. c. 11 de reform.

sue-

ſueuerunt, non locetur vltra triennium, nec locationes fiant anticipatis ſolutionibus, iuxta formam Sacri Conc. Trid.

Cap. 3.

Vtq; plenius Eccleſiaſticorum bonorum conſeruationi conſulatur, & fraudibus via præcludatur, interdicimus omnibus, & ſingulis Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ beneficiatis, ne ſub quouis prætextu locare, ſiuè in emphitheuſim concedere præſumant bona ſuorum beneficiorum patronis, nec eis, quorum renunciatione beneficia ipſa obtinuerunt, neq; præterea illis, qui ſecundo, vel arctiori conſanguinitatis, aut affinitatis gradu, cum eis coniuncti ſunt, absq; noſtra licentia in ſcriptis obtinenda; quæ non concedetur, niſi cognita prius Eccleſiæ vtilitate.

Si autem beneficiati in præmiſſis deliquerint, & locationes etiam ad breue tempus patronis, & alijs ſuperius enumeratis etiã per interpoſitas perſonas fecerint, contra-

ctus

ctus nullitatis vitio subiaceant, & locatores incurrant pœnam amißionis fructuum vnius anni eiusdem beneficij, cuius bona fuerunt locata. Inquiraturq́; diligenter an aliqua simoniæ labes inter ipsos contracta sit.

Cap. 4.

Administratores bonorum Ecclesiastico rum, Hospitalium, & aliorum piorum locorum, si ipsi, vel alij eorum nomine bona prædicta emerint, vel locationis nomine acceperint, contractus huiusmo di nullos, ac irritos esse declaramus, ipsosq́; administrato res ab eo administrationis munere statim remoueri mandamus.

D E

De vſurpantibus bona, & iura Eccleſiarum, & Eccleſiaſticam iuriſdictionem.

Cap. I.

SVNT nonnulli, qui impijs ſacrilegijs propria commoda ſtudent inuenire, & non ſolum Deo, & Eccleſiæ non reddunt, quæ Dei ſunt, & Eccleſiæ; ſed potius auſu temerario bona, & iura Eccleſiaſtica vſurpant, occupant, & violenter retinent: mandamus itaq; Parochis omnibus ad coercendam vſurpantium audaciam, vt ſæpe inter Miſſarum ſolemnia populo explicent Decretum Conc. Trid. Quod incipit. Si quem Clericorum &c. contra vſurpantes bona, & iura Eccleſiaſtica, pœnasq; in eodem decreto contentas manifeſtent: tam

Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 11 Conc. Later. ſub Leo. 10. ſeſſ. 9 & 10 c. Prædic. cũ ſeq. 12. q. 2. c. Attendendum eſt 17. q. 4.

tam diu enim indebitè, occupantes bona, ſcripturas, & iura Eccleſiarum, & piorum locorum anathemati ſunt ſubiecti, quamdiu integram fecerint reſtitutionem, & abſolutionis beneficium à ſummo Pontifice impetrauerint.

Cap. 2.

Clericorum hæredes bullas, & ſcripturas quaſcũq; ad beneficium, quod Clericus ille, dũ viueret, obtinebat, quomodolibet ſpectantes, & pertinentes, ſucceſſori in beneficio tradere, & conſignare teneantur. Si qui verò ſcripturas, & monumenta huiuſmodi ad Eccleſias, vel loca pia pertinentia, occultare, ſupprimere, vel negare præſumpſerint, excommunicationis ſententiam incurrant.

Cap. 3.

Eccleſiaſticam iuriſdictionem à ſeculari diſtinctam eſſe duo gladij Euangelici aperte demonſtrant, & vna per alteram impediri non debet, ſed potius adiuuari. Hortamur

Conc. Trid. sess. 25. c. 3. in fine. *mur igitur seculares Iudices, Ciuitatis, & Diœcesis nostræ, vt iuxtà Sanctiss. mentem Clementis Octaui Pont. Opt. Max. Episcopalem Iurisdictionem intactam, atq; illibatam conseruent, Ecclesiasticamq; libertatem, & immunitatem in omnibus tueantur, legantq; frequenter constitutionem felicis recordationis Bonifacij octaui, quæ incipit. Quoniam, vt intelleximus, & præallegatum capitulum Conc. Trident. Si quem Clericorum, pœnasq; in eisdem appositas perpendant.*

C. quoniam, vt intelleximus de imm. Eccl. in 6.

De Seminario.

Conc. Trid. sess. 25. c. 18 de reformat.

POstquam (Deo ita disponente) ab Episcopatu Perusino ad Auximanum translati sumus, in eam præcipuè curam, mentem nostram defiximus, vt ex Conc. Trid. Decreto Collegium Seminarij institueretur, ad eamq; formam redigeretur, vt verè Collegium, & ministrorum

Dei

Dei Seminarium dici posset: nihil enim ad Cleri disciplinam propagandam, & pernitiosam ignorantiam à Clero remouendam vtilius potest excogitari: & licet inuenerimus tum Auximi, tum in nostra terra Cinguli quosdam adolescentes, qui Clerici Seminarij vocabantur, ex censu, qui à Clero Vrbano, & Diœcesano pro Seminarij erectione persoluitur, paruam quandam percipere subuentionem; tamen nec proprium habebant præceptorem, nec certum locum, in quo conuenirent, sed in omnibus pro suo arbitratu viuebant.

Nos verò considerantes, quod adolescentium ætas prona est ad mundi voluptates sequendas, nisi à teneris annis ad pietatem, & religionem informetur, & sub arcto obedientiæ iugo pueriles annos traducat, id in primis curauimus; vt de aliquo certo loco, in quo pueri collegiatim alerentur, & religiosè educarentur, prouideretur.

Vacante itaq; Parochiali Ecclesiâ S. Ma-

ria de platea, impetrauimus à Sanctißimo D. N. Clemente Octauo (quem Deus diutißimè seruet) vt dicta parochialis Ecclesia vna cum domibus ipsi adiacentibus Collegio Seminarij perpetuo vniretur, prout iam fuit vnita, & cura animarum aduiciniores parochiales translata auctoritate Apostolica. & Nos etiam in nostra visitatione, quamplura beneficia dicto Collegio vniuimus, & incorporauimus.

Cum autem in hac nostra Ciuitate, & Diœcesi fructuum portio, quæ pro Seminarij erectione à beneficiatis persoluitur, sit valde exigua; mandamus per homines in præsenti Synodo eligendos reformari, & augeri, ea tamen adhibita moderatione, vt dimidiam partem decimæ non excedat, minusq́; grauentur beneficia curata, quam simplicia; quæ exactio tam diù durabit, quam diù Seminarium suis facultatibus substentari poterit, quod breui futurum speramus: nos enim, qui Clerum nostrum potius subleuare,

quam nouis oneribus grauare cupimus, beneficia ſimplicia, quæ in dies vacare contigerint, Seminario vnionis coniungemus. ſ iure
Et quia Diœceſis noſtra perexigua eſt, & anguſta, Seminarij Collegium in Ciuitate tantum eſt retinendum, nec in duas partes diuidi debet tollimus igitur, & abrogamus. Seminarium Terræ Cinguli, vel potius illud nudum Seminarij nomen, & vnimus noſtro Seminario Auximano, cui ratam fructuum taxandam, à Clero Cinguli perſolui mandamus.

Nos verò, cum huiuſmodi Collegium communibus totius Cleri ſumptibus alatur, in admittendis pueris, tum Cinguli, tum etiam aliorum locorum noſtræ Diœceſis rationem habebimus: æquum eſt enim, vt qui ſentit incommodum, etiam commodo gaudeat, & Clericos Vrbanos, & Diœceſanos nos æqualiter diligimus, nullaq; eſt apud nos acceptio perſonarum.

Mandamus itaq; vt Clerici Seminarij con-

conueniant in domibus Sanctæ Mariæ de plateæ dicto Seminario vnita, quem locum (donec Dominus de meliori, & ampliori prouidebit) pro certa Seminarij sede eligimus, & deputamus.

Vt autem Collegium huiusmodi ritè, & rectè administretur, & in dies augeatur, sitq; re, & nomine ministrorum Dei perpetuum Seminarium, eligantur quolibet anno in Synodo Diœcesana duo Canonici, qui Seminarij curam gerant, & illius administrationi præsint.

Habeat Seminarium proprium præceptorem, nec Clerici ad publicas scholas accedãt. sit autem præceptor Seminarij Sacerdos (si fieri poterit) probatæ vitæ, qui teneros adolescentium animos, non solum bonis litteris exornet, verum etiam christianam pietatem, & religionem verbo, & exemplo doceat; vt virtutes, boniq; habitus teneræ adhuc ætate in ipsis impressi in naturam conuertantur.

Caueat

Caueat autem, ne suis discipulis aliquam peccandi occasionem præbeat, Deum enim habebit vltorem, ac de peccatis puerorum suæ fidei commissorum rationem reddet.

Recipiantur pueri præuio examine, coram nobis, & Seminarij præfectis, ac præceptore faciendo: Inquiratur diligenter an eiusmodi ingenio sint, vt eorum indoles spem afferat eos Ecclesiasticis ministerijs perpetuò esse inseruituros, & in Ecclesia Domini vberes fructus allaturos. In Seminarium non admittantur, qui saltem duodecim annos nati non sint, ex legitimo matrimonio procreati.

Pauperum tantum filij eligantur; qui Seminarij sumptibus viuant: nam, vt inquit, Beatus Hieronymus Damaso scribēs, Clericos illos conuenit Ecclesiæ stipendijs substentari, quibus parentum non suffragantur stipendia: qui enim paternis bonis substentari possunt, si quod pauperum est, accipiant,

piant, sacrilegium incurrunt.

Ditiorum autem filios ab hoc Collegio non excludimus, dummodo suis sumptibus alantur.

Deferant omnes habitum, & tonsuram Clericalem, habitus verò Clericorum Seminarij sit inposterum, violacei coloris, & omnes vestes sint eiusdem formæ, talares scilicet, & modestæ: singulis diebus sacrificio Missæ deuotè intersint.

Curet etiam præceptor, vt singulo quoq; mense peccata sua confiteantur, & qualibet prima Dominica mensis Sacram Eucharistiam sumant.

In omnibus autem festis diebus, ex præcepto, vel ex consuetudine nostræ Ciuitatis obseruandis, Clerici omnes sacri Seminarij bini bini, & præceptore subsequente accedant ad nostram Cathedralem Ecclesiam, ibiq; Matutino, alijsq; horis canonicis, & Missæ conuentuali intersint, & altari ministrent, easq; functiones exerceant, quas eis

care-

cæremoniarum magister imponet.

In diebus vero ferialibus, ne Clerici prædicti à studijs distrahantur, ad Cathedralem Ecclesiam nõ accedant, sed præceptor cùm missæ conuentualis celebrandæ tempus aduenerit, duos tantum Clericos ad dictam Ecclesiam transmittat, qui clericalia munera circa celebrantem deuotè exerceant, ipsiq; celebranti in altaris ministerio inseruiant, & Missa peracta statim, ad Seminarium reuertantur.

Caueat autem præceptor; ne ad alicuius instantiam, extrà casus prædictos Clericos Seminarij scholam exire patiatur sub pœna priuationis officij.

Grãmaticæ, & alijs bonis artibus assiduè vacent, quotidie vero, & hora præceptoris arbitrio, magis commoda cantu tam plano, quam figurato instruantur.

In hoc autem Sacro Collegio perpetuus sit vsus, vt Cathechismus Romanus legatur, & explicetur.

Libri amatorij, & impudici, ac falsorum Deorum fabulosos amores continentes à Seminario penitus excludantur.

Cum primum autem Seminarium huiusmodi in formale Collegium redigi poterit, & Clerici collegiatim viuent, & clausuram seruabunt (prout cupimus vehementer) alias etiam regulas, & institutiones pro recta Clericorum disciplina præscribemus.

Seminarij visitatio fiat saltem tertio quoq; mense, & adhibitis doctis, & pijs viris inquiratur diligenter de magistrorum diligentia, & de progreßibus, quos in vita disciplina, & in litterarum studijs Seminarij Clerus habuerit.

De Regularibus.

Cap. I.

SIcut, vberrimos semper in vinea Domini fructus attulerunt Regularium congregationes benè instituta, sic etiã è conuerso

uerſo Regularium relaxata diſciplina, & eorum mores profeßioni repugnantes, maxima detrimenta, & ſcandala Eccleſiæ Dei attulerunt. nemo enim in populo Christiano plus nocet, quam qui peruersè agens, nomen, vel ordinem ſanctitatis habet, & culpa in exemplum vehementer extenditur, cum pro reuerentia ordinis, vel habitus, peccator honoratur.

C. Nemo 83 diſtinct.

Quapropter Regulares omnes, qui arctioris vitæ vinculo voluntarie ſe aſtrinxerunt, vehementer in Domino hortamur, vt inſtituti ſui memores, vitam ſanctam, caſtam, & Deo placentem ducant, in omni humilitate, & obedientia, ſicut decet Dei miniſtros, moresq́; ſuos ita componant; vt propter ipſos non blaſphemetur in gentibus nomen Domini.

Cap. 2.

A laicorum conuerſatione ſint alieni, mulierumq́; collocutiones, aſpectum, & familiaritatem, tanquam malorum, ac ſcan-

dalorum omnium Seminarium, vitent.

Cap. 3.

Caueant omnino ab ea corruptela, ne soli per Vrbem ambulent, neuè per officinas, aut vicinas domos ociosi vagentur, præsertim nocturno tempore.

Cap. 4

Conc. Trid. sess. 5. c. 1. circa finem.

Mandamus etiam iuxta Sacri Concilij Trid. Decretum, vt in vno quoq; Monasterio lectio Sacræ scripturæ habeatur: sic enim in meditatione diuinæ legis exardescet ignis, nec in tenebris ambulabunt iuxta Dauidicum carmen. lucerna pedibus meis, verbum tuum.

Cap. 5.

Regulares omnes curam animarum exercentes, in quauis Ecclesia, etiam eorum Monasterio, vel Cenobio adiuncta, in ijs, quæ pertinent ad curam animarum, & Sacramentorum custodiam, & administrationem nostræ iurisdictioni, & correctioni subesse declaramus, ac propterea decreta

omnia

omnia Synodalia Parochi Regulares quoq; seruent.

Cap. 6.

Nullus Regularis curam animarum audeat exercere, nisi à nobis, vel nostro Vicario generali præuio diligenti examine, ad id fuerit approbatus.

Cap. 7

Confeßiones secularium, etiam Sacerdotum, nisi præcedente examine, & approbatione prædicta, Regulares audire non præsumant. Cum autem fuerint approbati non in priuatis ædibus, nec in eorum cellis, aut in aliena Parochia, sed in proprijs tantum Ecclesijs, confeßiones audiant, idq; non summo mane, nec de nocte, sed tempore debito.

Conc Trid. sess. 23. c. 15 Pius V. in sua constit. quæ habetur in bullario nuper impresso pag. 1131.

Cap. 8.

Infirmorum confeßiones non audiant, nec ipsis Sacramentum Eucharistiæ, vel Extremæ vnctionis administrent, sine proprij Parochi licentia.

Ter-

Cap. 9.

Tertiarijs suorum ordinum infirmis, nec Paschali tempore Sacramenta administrēt, cum eorum priuilegia non tam latè pateant, nec iuribus Parochialis Ecclesiæ praiudicēt.

In quolibet vero Cenobio deputetur proprius confessarius pro tertiarijs, nec ab alijs fratribus audiantur.

Cap. 10

Indulgentias ipsis concessas, nec nouas Reliquias, aut miracula publicent, absq; nostra licentia.

Cap. 11.

Querelis percipimus plurimorum, quosdam Regulares sæpe mittere falcem in messem alienam, & Parochorum munera sibi vsurpare; mandamus igitur Regularibus omnibus in Ciuitate, & Diœcesi nostra constitutis, sub excommunicationis pœna, ne Nuptiarum benedictiones faciant, nisi tamen curam animarum haberent, nec mulieres, quæ post prolem emissam ad gratias

Deo

Deo agendas, & benedictionem à Sacerdote percipiendam in Ecclesijs se præsentant, ipsi recipiant, nec benedictionem concedant, sed ad proprium Parochum remittant, cum hæc sint iura Parochialis Ecclesiæ.

Cap. 12

In Die Sabbati Sancti Campanas non soluant, neq; pulsent ante maiorem Ecclesiam, sciantq; in Concilio Lateranense id fuisse specialiter prohibitum, omnibus Regularibus etiam mēdicantibus sub pœna centum ducatorum. Conc. Later. sub. Leo X. sess. 11.

Cap. 13

Regulares omnes extra monasterium degentes, quamuis exempti, in causis mercedum, & miserabilium personarum coram nobis, vel nostris officialibus conueniri, & iure medio ad soluendum debitum compelli possunt. Conc. Trid. sess. 7. c. 14.

Cap. 14

Censuras, & interdicta à nobis, vel nostro Vicario generali promulgata, nec non Conc. Trid. sess. 25. c. 12 & seq.

festos

festos dies, Regulares quoq; in eorum Ecclesijs publicent, atq; seruent.

Cap. 15

Conc. Trid. sess. 6. c. 3. & sess. 21 c. 8. & sess 25. c. 14 de reformat.

Regulares extra claustra vagantes à nobis etiam, vel nostris officialibus visitentur, & puniantur.

Si vero intra septa monasterij degant, sed extra monasterium notorie delinquant, nostra subiaceant correctioni. Si tamen à proprio Superiore præmonito, cum certi termini assignatione non fuerint intermino præfixo debitis pœnis affecti.

Cap. 16.

Conc. Trid. sess. 25. c. 4. de Reg.

Non possint Regulares à monasterijs, siue Cænobijs eisdem assignatis recedere etiam sub prætextu accedendi ad Superiores, nisi obtenta licentia Superioris eiusdem monasterij, alias tanquam desertores proprij instituti, si in Diœcesi nostra fuerint reperti, à nobis puniri poterunt.

Cap. 17

Ea, quæ de ingressu fæminarum in monasteria

steria Apostolicis litteris Pij Quinti, & Gregorij xiij. Summorum Pontificum, sancita sunt, integrè seruent; Regulares, & omnes propriam clausuram à fœminarum ingressu cautè custodiant, alias nos ad censurarum declarationem, & litterarum executionem ex facultate nobis attributa, procedemus.

Pius v. in cōstit. impressa in bulla. pag. 952 Greg. xiij in alia consti. quæ habetur in eodē bullar. Pag. 1239

In clausura autem comprehendi censeantur porticus, atria, & loca quæcumq; Monasterij Ianuæ proxima; ita vt nulli fœminæ vltra fores progredi liceat; & tamen adhibita cautione, vt processionum tempore, & quando corpora defunctorum sepeliuntur, vel pro eis fiunt suffragia, in viciniores porticus mulierum ingressus nō intelligatur prohibitus, quemadmodum à Sancta Sede Apostolica declaratum fuit.

Comprehensi quoq; censeantur in clausura, Horti, Vineæ, & loca, quæ ita Regularium monasterijs contigua sunt, vt neq; via, neq; alio loco intermedio, siue interposito adea

ex ipsis monasteriis pateat aditus.

Item loca omnia, quæ licet in Ecclesiæ ambitu non contineantur, nec intra monasterij clausuram sint, tamen in eadem loca ex Ecclesia ingredi licet.

De Monialibus.

VT Sacræ Deo Virgines, quæ sæculi illecebris contemptis suam Virginitatem Altissimo vouerunt, & sub suaui Religionis iugo cælesti sponso Christo in castitatis holocausto famulari proposuerunt, disciplinam, quam solemnibus votis professæ sunt, sanctè etiam tueantur, nec in ipsis quicquam reperiatur incongruum, quod in regularis honestatis gloria maculam ponat, nec diuinam possit offendere maiestatem: infrascripta decernenda esse duximus pro generali monasteriorum reformatione, non enim ignoramus, Sacrarum Virginum exactissimam nobis habendam esse

curam,

curam; vt per bona opera certam faciant earum vocationem, & adueniente Domino, tanquam Virgines fatuæ ab æternis nuptijs non excludantur.

De Puellis ad Religionem admittendis

C*VM aliqua puella ad sacrum habitum suscipiendum erit offerenda, parentes, aut illi, qui ipsius curam gerunt anno saltem, antèq; examinetur, & Monialium Capitulo admittenda proponatur, puellæ propositum superiori Monasterij, & monialibus patefaciant, caueantq; ne minis, versutijs, pollicitationibus, alioue modo, puellam ipsam ad sacram vestem suscipiendam impellant, alioquin sciant se grauissimam excõmunicationis sententiam protinus incurrere iuxtà Concil. Trid. decretum.* Conc. Trid. sess. 25. c. 18 de Regul. & Monial.

Perquiratur ab eisdem diligenter, de Puellæ ætate, moribus, & vita ante acta: Exploretur etiam (& in hoc maxima ad hibeatur cautio) quo spiritu ducatur, & an libera voluntate, vel coacta sacrũ habitum induere proposuerit: quotidiana enim experientia docemur nihil monasteriorum, quietem magis perturbare, quã Moniales, quæ spiritu Dei non ductæ, sed potius parentum obedientia coactæ, monasticum habitum susceperunt.

Edoceatur Puella frequenter, quid sibi velint solemnia illa religionis vota; & qua Regula, quibusuè legibus, & præceptis vitam omnem in Monasterio sit traductura.

Moneatur etiam, vt frequentius in oratione versetur, ieiunia, aliaq; vitæ spiritualis opera exerceat, & Sanctissima Sacramenta religiose frequentet.

Singulis saltem mensibus peccata sua Sacerdoti confiteatur, quem ei nos constituerimus, vel alij Monasterij superiores,

eoq;

eoq; Confessario tanquã vitæ spiritualis Magistro, & duce vtatur.

Facta deinde hac diligenti, & accurata perquisitione, si puella in eo pio voluntatis proposito persistat, in Capitulo Monialium proponatur; & si habuerit duas ex tribus partibus suffragiorũ, in Monasterio recepta intelligatur, non tamen protinus in Monasterio introducatur, & Monialium vestibus induatur; sed post sex menses, vel alium breuiorem terminum, superiorum arbitrio.

Puellæ vt supra receptæ, quousq; tempus adueniat ingrediendi Monasterium, & Sacrum habitum suscipiendi, hæc interim præstent.

In primis si non sint confirmatæ, curent, antequam Monasterium ingrediantur, Sacramentum Confirmationis suscipere, & Puellæ non confirmatæ sacro moniali habitu non induantur, nec etiam recipiantur puellæ, quæ duodecim annis maiores non sint, Conc. Trid. sess. 25. c. 17 de Regul. & Monial.

sacra

ſacra Trid. Synodo ita diſponente, quæ libertati Virginũ Deo dicandarum omni diligentia, & pietate proſpexit. Veſtes delicatas earumq́; inanem ornatum, comarũ artificioſam compoſitionem, omnemq́; pompæ oſtentationem penitus abijciant, & modeſto veſtitu vtantur, nigro vel fuſco, aut albo, non tamen ſerico.

A Choreis, publicis conuiuijs, omnibusq́; profanis ſpectaculis omninò caueant.

Abſtineant etiam à colloquijs, & congreſsionibus mulierum, quarũ conſuetudine à caſtiſsimæ voluntatis propoſito abduci aliquo modo poſsint.

f delectentur *Librorũ ſpiritualium aſſidua lectione, & domi ſolitaria, quoad fieri poterit, permaneant, vt paulatim ſanctiſsimæ illi ſolitudini Cellæ monialis aſſueſiant, ſæpèq́; conſiderent perpetuũ illum angelicæ vitæ curſum, quem (diuina gratia adiutrice) in Monaſterio acturæ ſunt.*

Demùm in ſtatu, inceſſu, vultu, habitu,

collo

colloquijs, & cæteris actionibus ità se gerāt, vt omnes intelligant ipsas, id tantummodo cogitare, vt Iesu Christo placeant, cui se perpetuo dicarunt.

Adueniente autem tempore ingrediendi Monasterium, ipsemet superior, vel alius Sacerdos de mandato ipsius Puellam iterum examinabit, inuestigabitq́; diligēter; an illa constanti sit voluntate, & sciat, quid agat, an monasterij regulis instructa sit, sufficientemq́; habeat peritiam earum rerum, quas moniales scire tenentur.

Puella habitum Susceptura nulla pompa, nulloué, aliorum comitatu, sed à mulieribus illius intime propinquis, summo mane ad Monasteriū deducatur, solaq́; in Ecclesiam interiorem intromittatur, vbi missæ intersit; & sacram Communionem percipiat; deinde adhibitis Religiosis cæremonijs iuxta formam libri ritualis, vestem monialem Sacram sumat, per fenestellam Cōmuniōnis, à nobis, vel Vicario nostro, vel

supe

superiori regulari, aut alio sacerdote, cui hæc cura fuerit demandata.

Hæc vero solemnis actio celebretur pie, grauiter, & sermone præterea adhibito Sanctißimarum cohortationum, & admonitionum pleno.

Monialibus non imponantur nomina Gentilium fæminarum, sed sanctarũ, quas Ecclesia colit; nec in eodem Monasterio adsint duæ Moniales, quæ eodem nomine vocentur.

De Monialium numero, & Supranumerariis.

VBi monialium numerus minor sit quatraginta, duas tantũ sorores germanas recipi liceat, aut tres eiusdem cognationis, & familiæ; vbi autem maior sit numerus, tres sorores, ac quatuor

tantum

tantum eiusdem familiæ, consensu monialium accedente, recipi poßint.

Cum vero ex decreto Sacri Conc. Trid. & constitutione Pij. Quinti in omnibus monasterijs certus monialium numerus sit præfiniendus, pro quantitate redditüum, ita vt moniales omnes ex fructibus Monasterij, & consuetis eleemosinis substentari poßint, nec ob excessiuum earum numerum clausura uioletur, & mendicare cogantur; nos pro vt tenemur decreta huius modi exequi volentes, quæ à prædeceßoribus nostris nunquã fuerunt executioni demãdata, consideratis redditibus omnium monasteriorum nostræ Ciuitatis, & Diœcesis calculatis expensis, omnibusq; maturè discußis, & habito etiã colloquio cum Syndicis, & Procuratoribus Monasteriorum numerũ monialium redditibus congruẽtem, præfiniẽdum duximus, & præfinimus, prout infrà videlicet

Conc. Trid. sess. 25. c. 3. in fin. de reg. & mon. Pius V. in suo constit. inpressa. in bullar. fol. 930.

In Monasterio Sancti Nicolai Ciuitatis Auximi cũ à bonæ memoriæ Theodosio Flo-

Vu rentio

rentio Prædecessore nostro fuerit præfinitus numerus quinquaginta Monialium, nihil noui in hoc decernimus, sed decretum iam factum confirmamus.

In Monasterio Sancti Benuenuti eiusdem Ciuitatis moniales trigintatres præfinimus, & constituimus.

In Monasterio Sanctæ Catherinæ Terræ Cinguli Moniales quinquaginta.

In Monasterio Sanctæ Sperandiæ eiusdem Terræ Moniales quatraginta.

In Monasterio Sancti Spiritus, Terræ predictæ Moniales triginta.

In Monasterio Sanctæ Claræ Terræ Montis filiorũ Otrani Moniales duodecim.

In illis vero Monasterijs, in quibus plures Moniales de præsenti viuunt quousq; ad numerum desuper taxatũ redactæ fuerint alias moniales recipi prohibemus.

Poterunt tamen vltrà numerum superius præfixum recipi aliquæ Moniales Supranumerariæ de consensu nostro, cui id ab

Illu-

Illustriß. & Sacra Congregatione regularium fuit specialiter concessum, dũmodo Moniales supranumerariæ soluant Monasterio dotem duplicatam, & non aliter, nec alio modo.

De Nouitiis illarumq; professione.

NOuitiarum Magistra in quolibet Monasterio eligatur, sitq; monialis prouecta, & quæ inter cæteras charitate, & vitæ spiritualis vsu sit præstantior, hæc vero Nouitias accuratè instruat regularis vitæ præceptis, & in timore, & cultu Dei, Religionisq; obseruatione erudiat.

Humilitatem etiam, obedientiæ officia, Paupertatis vsum, castitatis custodiam, orationis exercitationem, cæteraq; omnia doceat quæ ad vitæ perfectionem, & No-

uitiarũ Confirmationem conducere existimabit, aßiduisq; monitionibus, & bono exemplo id efficiat, vt perarduum, atq; angustum virginalis vitæ curriculum, eo tandem perueniant, quo eas vocat Religionis, institutum.

Differentia habitus Nouitiarum à professarum Monialium vestitu seruetur, prout cuiusq; Monasterij antiquus vsus introduxit, cum nihil noui circa hoc decernamus

Conc. Trid. sess. 25. c. 15 de Reg. & mon.

Cum vero Concilium Tridentinum pie decreuerit, vt profeßio, ante decimũ, sextum ætatis anum facta, nulla sit, nullamq; inducat obligationem, & innuerit vt omnes, quæ ad dictam ætatem peruenerint, & per annum probationis in Monasterio se exercuerint, teneantur Religionis vota solemniter profiteri; Mandamus vt Monasteriorum præfectæ cum primũ professionis tempus instabit, trigin.ta antè diebus id nobis significent, vel nobis absentibus, Vicario nostro generali, qui ad mona

Conc. Trid. in præal. sess. 25. cap. 17. de reg. & mon.

monasterium se conferat, & ad fenestram colloquutionis, semotis arbitris, Nouitiæ animum, & voluntatem diligenter inquirat, doceatq́ quam multa exposcant illa tria Religionis vota, vt antè obligationem, obligationis vim intelligat.

Et quia Moniales, professione facta, & accepto velo suæ Religionis officium quotidie recitarè tenentur, erit etiam aduertendum, vt nulla ad professionem admittatur, quæ congrue legere, & officium recitare nesciat. Et licet examen huiusmodi, & inquisitio ad fenestram collocutionum facienda sit, poterunt tamen nouitiæ ex rationabili causa, & probabili suspitione, extra septa Monasterij, & in exteriori Ecclesia examinari, vt liberius suā voluntatem patefaciant. id autem fiat adhibitis saltem tribus honestis matronis ætate grauibus, & Nouitiæ examinandæ consanguineis, quæ præsentes adsint, loco tamen ità remoto, vt exa-

mina

minatorem & Nouitiam conspiciant, superiorem vero interrogantem, & Nouitiam respondentem audire non poßint.

Conc. Trid. sess. 25. cap. 16. de reg. & mon. *Quo examine facto, & anno probationis completo, si Nouitiæ ad professionem aptæ non reperiantur, vel illam præstare recusent, à Monasterij septis eijciantur.*

Si vero constans voluntas, & aptitudo in eis reperiatur, ad professionem admittantur, recipianturq; prius à Monialibus capitulariter, prout supra in ingressu Monasterij dictum fuit.

Fiat autem professio Missæ tempore præsentibus omnibus Monialibus coram nobis, vel alijs Monasterij superioribus, cuius professionis formulã Nouitia profitens, in interiori Ecclesiæ parte ad fenestellam Communionis pronunciabit, superior vero in exteriori Ecclesiæ parte audiet, & excipiet, qua in solemnitate, sacri ritus, debitæq; cæremoniæ adhibeantur.

Professionis dies, & annus, in certum librum

librum ad eum vſum confectum à Moniali Cancellaria annotetur, adhibita etiam ſubſcriptione Nouitiæ, quæ profeſſa eſt, ſi modo ſcribere ſciat, & ſuperioris, qui eam admiſerit.

Nulla bonorum renunciatio à Nouitia tempore profeſſionis fiat; ſi autem aliqua renunciatio facienda eſſet, fiat per duos menſes ante profeſsionem, obtenta prius licentia à nobis, vel a noſtro Vicario generali, iuxta formã Sacri Concil. Trident.

Ante profeſsionem nihil Nouitiæ cauſa Monaſterio detur præter id, quod neceſſarium eſt ad victum, & veſtitum. Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 16. de reg. & mon.

Dos autem ſiuè eleemoſina, quæ ad ſubſtentandam profeſſam iuxta antiquam locorum conſuetudinem Monaſterio danda eſt, antequã Nouitia Religionis habitum ſumat, apud aliquem Depoſitarium fide, & facultatibus idoneũ, & à ſuperiori Monaſterij approbatum deponatur, vt ſtatim facta profeſsione Monaſterio conſignari

ſignari

signari possit.

Huius vero dotalis eleemosinæ, duæ saltem partes erogentur in Emptione bonorum stabilium, vel annuorum censuum; reliquum vero cedat necessitatibus Monasterij, vel æri alieno persoluendo, si tamen Monasteri um fuerit grauatum.

De præfecta Monasterii, & aliis Monialium Ministris.

PRæfecta Monasterij siuè Abbatissa, non eligatur minor quatraginta annis, & quæ octo annis post expressam professionem piè, & laudabiliter vixerit, quod si in eodem Monasterio Monialis nõ reperiatur cum his qualitatibus, ex alio eiusdem ordinis eligi poterit: si autem hoc superiori Monasterij incommodum visũ fuerit eligatur ex eis, quæ in eodem Monasterio

nasterio reperiuntur, dummodo triginta annis maiores sint, & quæ saltem per annos quinq; post professionem, regularis obseruantiæ, & sanctitatis exempla dederint, Sacro Concilio Tridẽtino ità disponente. Conc. Trid. sess. 25. c. 7. de regnl. & monial.

Præfecta, Vicaria, Discretæ vel quocumq; alio nomine nuncupentur, eligantur à monialibus per secreta suffragia corã nobis, aut Vicario nostro, vel alio Monasterij superiore, qui pro huiusmodi Electione nullatenus septa Monasterij ingrediatur, sed conuocatis monialibus ad cellã collocutionum, ipse à parte exteriori vota excipiat: illaq; in præfectã electa intelligatur, quæ duas, ex tribus partibus suffragiorum tulerit.

Vicaria vero, discretæ, quæ etiã Matres Consilij vocantur, satis est, quod habeant, pro eorum legitima electione, maiorem votorum partem.

Minora officia, veluti Ianitricum, Ro

tariarum, Auscultatricum, earum, quæ Sacristiæ præsunt, ægrotis Ministrant, & alia huiusmodi; à nobis vel Vicario, vel alio superiore, vna cum Confessario, Præfecta, Vicaria, & Discretis, quibus opportunũ videbitur, tribuantur.

Quæ vero electæ fuerint (quemadmodum earum obedientia postulat, sine recusatione aliqua impositum officium subeant, & eius munera humiliter exequantur.

Greg. xiij. in constit. de-- su. ędita de qua in bulla. fol. 1341.

Præfecta eligatur quolibet triennio iuxtà constitutionem felic. recor. Gregorij xiij In qua electione (cum sit res maximi momenti) studeant Moniales, quibus eligendi ius competit, ità se ab omni propensione, & affectione abducere, vt Dei honorem in primis, salutaremq; Monasterij gubernationem, sibi ob oculos proponant, depositaq; omni ambitione, & humanitatis affectu, eam eligant, quam Spiritus Sancti impulsu, ad id magis idoneam iudicauerint.

Cetera officia biẽnio, vel ad summum

mum (vbi hæc fuerit consuetudo) triennio durent, quibus cum officiales perfunctæ fuerint, tantundem saltem temporis ab officijs vacent, nec in eisdem poßint à Monialibus confirmari, nisi grauis extiterit causa, superiorum arbitrio probata. Et in hac officialium electione spectetur non solum prudentia, industria, & rerum agendarum peritia, verum etiam valetudo, & corporis habitudo ad labores suscipiendos, in ijs præsertim, quæ rerum domesticarum curam gerere debent.

In reliquis vero circa officialium electionem, seruentur particulares cuiuslibet Monasterij constitutiones.

Præfectæ tanquam communi omnium Matri, Moniales obedientiam, & reuerentiam præstent, ipsa vero in victu, vestitu, colloquio, & cæteris actionibus, ita se gerat, vt sacris Virginibus suæ curæ cõmißis ad cælestia regna ducatum præstet.

In primis vero curet præfecta, vt pax,

& concordia sororum conseruetur, sublatis (quantum fieri poterit) omnibus discordiarum causis, vt quemadmodum debent, sic etiam vnum corpus, & vnus spiritus in earum sponso Christo, perfecto charitatis vinculo colligentur.

Meminerit autem præfecta sibi reddendam esse rationem erratorum omnium, quæ Moniales eius culpa, vel negligentia admiserint.

Clauium omnium, Ianuarum, Rotarum, & fenestrarum, quæ sera clauduntur, vnā de nocte semper asseruet præfecta.

Clauem verò Ianuæ clausuræ die, noctuq; penès se retineat, & semper præsens esse studeat, cum aliqua de causa erit aperienda.

In negotijs paullo grauioribus, nihil decernat præfecta, nisi scientibus, & consentientibus Discretis; in ijs vero, quæ maioris erunt ponderis, vniuersum Monialium Capitulum conuocetur, idq; ratum sit,

quod

quod maiori Monialium parti placuerit.

Vicaria, præfectam adiuuet, & suo Ministerio subleuet, in ijs præsertim, quæ ad externarum rerum curam attinent.

Præfecta grauiter ægrotante, Monasterium gubernabit tanquam Vicaria, non tanquam præfecta, nullamq; mutabit gubernationis rationem.

Discretæ, vel matres consilij ex grauioribus Monasterij sororibus eligantur, quæ consilio, & opera præfectæ administrationem coadiuuẽt, & tanquam præfectæ oculi diligenter inspiciant Monialium disciplinã, vitam, & mores, & si quæ viderint correctione digna, ipsi præfectæ, ac etiam si opus fuerit, nobis, vel alijs superioribus significent.

Auscultatrices, quæ sermonibus audiendis præponuntur ætate matura, et spectata probitate sint, suoq; officio fideliter fungãtur, & sic colloquentibus aßistãt; vt vniuersa, quæ tum intus, tum foris dicta, & facta fuerint

rint, ipsæ quoque intelligant, & animaduertant.

Rotariæ, & Ianitrices, quæ foribus, & Rotis præsunt, ætate graues, & moribus probatæ eligantur, & tot sint, vt suo muneri commode poßint satisfacere.

Litteras, aut alia, quæ reddenda acceperint, tam monialibus, quam alijs, ad præfectam prius deferant, nec ijs, ad quas mittuntur, reddant sine licentia Præfectæ.

Ianitrices fores Monasterij diligenter custodiant, & nullam monialem ad fores, vel Rotarum loca morari permittant, absq; necessitate, & Præfectæ licentia.

Cancellaria etiam, in quolibet monasterio eligatur, quæ inter moniales maiorem scribendi notitiam habuerit.

Habeat Cancellaria librum, in quo omnes Capitulares deliberationes ordinatè describat.

Item alium librum; in quo annotentur omnes officiorum electiones, & mutationes.

Item

Item librum alium, in quo describatur, quo die puellæ Monasterium ingrediuntur, quando examinantur, cum sacrum habitum sumũt, & professionem emittunt.

Moniales, quæ ægrotantium curæ præpositæ erunt, ea cum ipsis misericordia, & charitate vtantur; talesq́; se illis præstent, quales cæteras vellent, si ipsæ ægrotarent.

Præfecta ægrotas quotidie visitet, vt illis solatio sit, & melius etiam cognoscat, an omnia neccessaria habeant.

Mandamus etiam pro maiori Monasteriorum quiete, vt cum fit noua officialium electio, eligatur, & vna, aut duæ Moniales, quæ laboribus præsint, & hæ laborum præfectæ ad Rotam accipiant, quæ elaboranda erunt, illisq́; monialibus distribuant, quas ad id opus magis idoneas iudicauerint.

Nullaq́; Monialis aliquid propria auctoritate elaborandum accipiat, etiam cognatorum.

In

In loco vbi moniales laboribus exercentur, pia lectio quotidie adhibeatur, curetq́; laborum præfecta, ne sermones, aut profani cantus monialium conditioni, & instituto repugnantes, inferantur.

De Monialium Capitulo

AD rectam Monasteriorum gubernationem, non sufficit Episcopi alio rumuè superiorum externa diligentia, nisi etiam vniuersum Monasterij corpus intrinsecus sit bene dispositum, & Monialium Capitula ordinate celebrentur:

Studeant igitur moniales omnes in eorum congregationibus Capitularibus modestiam seruare, spectentq́; singulæ in suffragijs ferendis, vt humanis affectibus non obsequantur, sed Deo, & conscientiæ satis faciant, Monasterij vtilitati animarumq́; saluti consulant.

In principio, & fine Capituli debitæ preces

preces ſemper adhibeantur.

In conſultationibus Capitularibus decidendis, ſuffragia adhibeantur ſecreta, illudq; in omni deliberatione ſeruetur (præterquam in electione Præfectæ) vt quod maioris partis ſuffragijs probatum erit, id obtentum, & decretum cenſeatur.

Si tamen contigerit paria eſſe ſuffragia, iterum negotium, quod in conſultationem venit, proponatur, nouaq; ferantur ſuffragia, quæ ſi iterum paria eſſe contigerit proponatur tertio, & liceat Præfectæ duos ſuffragij calculos in vrnam conijcere.

Deliberationes Capitulares à Moniali Cancellaria in certum librum referantur.

Caueat qualibet monialis, ne cum aliquid contra ſuam ſententiam decretum erit, ad hoc pertinaciter, aduerſetur, dicatq; ſibi eam rem non probari, quod enim plures ſenſerint, id rectum eſſe ſibi perſuadere debet.

Ius ſuffragij, quod vocalem, ſeu vocem

actiuam, & paßiuam dicunt, qualibet Monialis habeat, quæ Choro aſcripta ſit, poſt ſolemnem profeßionem, niſi ob culpam eo iure priuata ſit.

Monialium Capitula bona Monaſterij alienare, permutare, locare, aut contrahere nullo alio modo poßint, niſi nobis ſcientibus, & conſentientibus, aut noſtro Vicario, vel alijs ipſorum Monaſteriorum ſuperioribus, ac ſeruatis cæteris, quæ de iure ſeruari debent, alias Contractus ſit irritus, ac nullus.

Neq; etiam ædificare; vel nouum opus conſtruere, vel antiquum deſtruere, niſi conſentientibus ſuperioribus, ac Syndicis Monaſterij.

Curet etiam præfecta, vt ſingulis hebdomadis capitulum congregetur pro publicis culpis, & erroribus corrigendis (quod Capitulum culparum vocant) ibiq; omnes humiliter de publicis peccatis, & omißionibus circa eorum officia veniam petant, &

Præ

Præfecta pænitentiam imponat iuxta Monasterij regulas, & constitutiones.

De Officiis Diuinis, & illorum recitatione.

MOniales omnes facta profeßione, officium sui ordinis quotidie recitare tenentur. curent igitur huic oneri, piè, ac deuotè satisfacere, die noctuq́ chorum frequentent, & semper congruenti sui ordinis vestitu indutæ in chorum conueniant, singulæq́ suo loco persistant, & inde non discedant, nisi officio absoluto, & facto signo discessus à Præfecta, vel Vicaria.

Officium autem recitent non solum voce, sed etiam pio animi affectu: frustra enim clamat lingua, corde tacente, & Ministeriũ huiusmodi grauiter impleant, moderatam in pronũciando tarditatem seruent,

& debitas pausas ad Versiculi punctum adhibeant.

A publica autem diuini officij recitatione nulla absit, nisi iusta aliqua causa Præfectæ arbitrio fuerit impedita, & quæ abfuerit, priuatim officium recitare non omittat.

Si aliquam Monialem aduersa valetudine aliquando laborare contigerit, non pro suo arbitratu diuini officij recitationem intermittat, sed præfectam & confessarium consulat, & eius sententiæ (pro vt sancta expostulat obedientia) atquiescat.

Matutinum media nocte, vel saltem in Aurora recitetur iuxta singulorum Monasteriorum institutum.

Ceterarum autem horarum officia, quo ad fieri poterit, conuenientibus horis in Choro celebrentur.

Musicus cantus (quē figuratum vocant) aut musica instrumenta, nec intus nec extrà vnquam admittantur, præter organum, & arpicordium: si tamen moniales

inter

inter se cantus notitiam habeant, poterunt Ecclesiastica, & latina non autem vulgaria, & secularia pie canere, & sonum Organi(si in interiori Ecclesia illud habeāt) adhibere. Præter Missam die festo titulari ipsius Ecclesiæ solemniter celebrandam, nunquam in exteriori Monialium Ecclesia ab extraneis cantoribus canatur; cum ipsamet Moniales vesperas, & cætera per se canere possint. Missæ sacrificio deuotè quotidie interesse studeant.

Semel in mense saltem peccata sua confiteantur; & Sacram sumant Eucharistiam vt huiusmodi Sacramentorum præsidio munita Dæmonum insidias facilius superare possint. Clem. ne in agro §. Sanè, de stat. monac. Concil. Trid. sess. 25 c. 10. de reg. & mon.

In Choro, Capitulo, & Refectorio semper silentium seruent.

Orationis mentalis fructus, ac solatium maximum est; ideo cupimus vehementer, vt moniales omnes, præter horas Canonicas & alias preces, quæ ex Religionis instituto

reci

recitare tenentur, quotidie in Choro conueniant, ibiq; saltem per horam mentali orationi, Sanctissimisq; meditationibus vacent, suasq; castissimas mentes ad Deum subleuent, eamq; ad hoc pium officium eligant horam, quæ arbitrio Præfectæ magis commoda videbitur.

Quo in munere erunt magno adiumento libri, qui de mentali oratione à pijs hominibus conscripti sunt.

Singulis diebus festis, ad otium, à quo mala cuncta originem trahunt, euitandum, Moniales omnes conueniant, & ex probato libro aliquid legatur, quod ad pietatem, & Regularem disciplinam conseruandam pertineat.

Poterit tamen Præfectæ arbitrio legi homilia Euangelicæ lectionis currentis, aut vita Sancti, cuius dies natalis agitur.

DE

De Monialium funeralibus, & ſepultura.

CVm aliqua Monialium in domino ob dormire contigerit, in interiori Eccleſia, vel in Cæmeterio, quod in trà Monaſterij ſepta ſit, ſepeliatur: efferendæ vero defunctæ pium officium præſtent tantummodo Moniales, quas præfecta iuſſerit, ſedulo ac libenter, nec ab hoc ſancto munere quouis prætextu ſe excuſent:

Pro animabus defunctarũ ſororũ (prout ipſius Religionis inſtitutum poſtulat) pia ſuffragia, & anniuerſaria deuotè ac diligenter perſoluantur, pro fundatoribus vero, & benefactoribus Monaſterij, idem ſeruetur.

Sepulturæ ius in Monialium Eccleſijs nemini inpoſterum concedatur, ſine noſtra licentia, in ſcriptis obtinenda, in interiori

ri vero Eccleſiæ parte, & intrà ſepta Monaſterij nulli omninò ſub quouis prætextu, & cauſa ſepulchrum concedatur.

De Votorum Caſtitatis, Paupertatis, & obedientiæ integra obſeruatione.

SAnctæ pudicitiæ, & Virginalis integritatis præclariſſimũ Theſaurum, omni diligentia, & ſtudio à Diabolicis inſidijs tueantur Moniales, omnemq; viam muniant, qua Dæmonum fraudibus aditus eſſe poſſit, ad eam vel leuiter labefectandam, animum, tacitasq; mentis cogitationes, oculos, aures, ſenſus deniq; omnes, ita cautè cuſtodiant, vt nullam maculam contrahant, nec occaſionem maiori malo præbeant: ſic enim Ieſu Chriſto ſponso place-

placebunt, cui ſuam Virginitatem, tam Sanctè dicarunt, ac propterea propinquis opibus, ac terrenis omnibus commodis renunciantes, ſe in ſepta Monaſterij abdiderunt.

Præcipuè vero Sanctiſsimum earum propoſitum ex ea parte, qua diaboli inſidijs maxime patet, defendant, vitentq́; frequens virorum colloquium, tamquam Sanctæ honeſtati inimiciſsimum, & ſi aliquando ex facultate conceſſa cum viris colloquendum erit, caueant ne ſermonem diutius protrahant, ſed quam primum illum abſoluant, & dum colloquuntur, demiſsis oculis id faciant, & omnem deniq; occaſionem longe refugiant, vnde ſibi ad tam cœleſtis, Angelicaq; virtutis cuſtodiam aliquid detrimenti afferri poſsit.

In conſuedine quotidiana nihil immodeſtum, quodue alteri præbeat offenſionem præſtetur, à colloquijs in honeſtis penitus caueant, & mens pudica, pudica etiam ver-

ba proferat.

Nulla Monialis erga aliquam sororem ità afficiatur, vt cæterarum consuetudine abdicata cum illa tantùm semper esse velit, & cupiat.

Pauciores tribus in secretis Monasterij partibus nunquam sint, neq; etiam in eodem cubiculo dormiant, sed singulæ in singulis cellis, & lectis, si tanta cellarum copia adsit, vel saltem in eodem dormitorio, cubilibus tamen semper distinctis.

Vbi verò in eadem cella plures lecti habendi erunt, non sint pauciores tribus.

Hora autem competenti facto signo dormitionis, dormitorium à Præfecta siuè eius Vicaria claudatur, & claues per vnam ex ipsis retineantur; poteruntq; sæpe Monialium cellas visitare, & animaduertere, an singulæ suis locis dormiant.

DE

De voto Paupertatis, & proprietate tollenda.

Quemadmodum paupertatis votum expostulat, tuum, & meum, omnisq́; priuata rerum possessio à Monialium Monasterijs penitus tollatur, & omnia, quæ ad cibum, potum, vestitum, omnemq́; supellectilem pertinent, communia sint inter moniales iuxtà Sacri Conc. Trid. dispositionem, vsq́; adeo, vt altera alteri in his non anteponatur, nec post habeatur, sed par sit, & communis omnium conditio, & vitæ æqualitas.

Conc. Trid. sess. 25. c. 2. de regul. & monial.

Nulla monialis rem aliquam, tanquam propriam sibi vendicet, aut retineat, quamuis ipsa Monasterio obtulerit, vel eius causa Monasterio, data, donata, vel tributa fuerit, sed omni re vtatur, & fruatur, vt communi. legata etiam aliaue bona mobilia, aut

Conc. Trid. sess. 25. c. 2. de regul. & monial.

ſtabilia, ex teſtamento, donatione, vel alio quocunq; titulo à Monialibus acquiſita communia cenſeantur.

Quicquid autem vtendum Monialis acceperit, ità retineat, vt ad Præfectæ nutum confeſtim in commune conferat.

Vt autem proprietatis vitium, tanquam multorum malorum cauſa à Monaſterijs tollatur, Præfecta vna cum Diſcretis ter ſaltem in anno cellas, & ſupellectilem ſingularum Monialium diligenter inquirat, & ſcrutetur, quod ſi quæ proprij aliquid retinere fuerit deprahenſa, per triennium voce actiua, & paſsiua priuata ſit ex Concil. Trid. Decreto, atq; etiam iuxta ſui ordinis conſtitutiones puniatur.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 2. In fine de reg. & mon.

In rerum diſtributione ea ratio habeatur, vt Monialibus nihil ſuper vacaneum & inane relinquatur, nec neceſſarium, quo ad fieri poterit, pro Monaſterij facultate deſit.

In ſingulis autem Monialium cubiculis, ſiue

siue cellis hæc ferè esse poterunt, aliquæ sacræ Imagines ad deuotionem excitandam accomodatæ, In primis vero Christi Crucifixi, Beatæ Virginis Matris, ac præterea sanctæ, cuius Monialis nomen habet, vel cuius patrocinium in cælis sibi præcipua deuotione elegit.

Libri spirituales a nobis, vel alio Monasterij superiore approbati.

Vestimenta vsui quotidiano necessaria, pro temporis ratione, cætera vero in communi vestiario asseruentur.

In vestitu modus, & forma adhibeatur iuxtà regulæ præscriptum, itá vt in eo nihil inane ad ostentationem appareat, sed externus etiam habitus Religiosæ honestatis, & sanctæ humilitatis formam referat.

Habeat præterea qualibet Monialis lectorum fulcimenta, & dormitionis vsui necessaria arbitrio præfectæ.

Non tamen permittantur Monialibus

cubilia

cubilia conopeis ornata, non parietes vestiti, non specula, non odoramenta, aliauè inania & superuacanea, Catelli etiam in Monasterijs non retineantur, & deniq; in omnibus rebus, quæ ad communem, vel priuatum vsum pertinent, illud spectetur, vt nihil superuacaneum sit, nihil magnificum, aut artificio elaboratum, vel quod delitias ostentet, sed in omnibus terrenarum rerum contemptus, & sancta ac voluntaria paupertas (quæ veras diuitias præbet) eluceat.

Nulla Monialis peculiarem aliquam cellam seu cubiculum proprium, vel plus vno habeat, etiam si eius causa, aut sumptu constructa sint, neq; hortum, vt suum possideat, aut gallinas; nec Conuersam aliquam, quæ sibi particulariter inseruiat habeat, sed omnia communia sint, & præfectæ iussu liberè dimittantur, sintq; veræ Dei famulæ tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.

Camini

Camini in priuatis cellis, vel alibi non permittantur, sed in omnibus Monasterijs duo tantum sint, vnus in comuni thalamo ad calefaciendi vsum constructo, alter verò in Coquina.

Ceteri camini, si qui ad sunt obstruantur, ita vt in eis, ignis accendi inposterum nunquam posit.

Dona, quæ Monialibus mittuntur ad præfectam deferantur, nec vlla posit ea accipere, aut ad proprium vsum ad hibere, quamuis esculenta, & poculenta sint, nisi sciente, & consentiente Præfecta.

Monialis siue velata sit, siue conuersa, non posit eleemosinam dare, vel largiri, aut vendere res esculentas, vestes aut bona cuiusuis generis, aut etiã legare, quamuis ad proprium vsum ei fuerint attributa: poterit tamen Præfecta (prout expedire iudicauerit) facultatem concedere, aliquid dandi deuotionis, & Religionis causa, vel aliud exiguum elargiendi propinquis. & bene

benemerentibus.

Offulas, placentulas, & cuiusuis generis condimenta Moniales non conficiant donandi causa tum propter temporis iacturam, tum propter expensas, quæ in eis fiunt.

Nulla Monialis, nec præfecta quidem aliquam pecuniarum quantitatem etiam modicam, penes se retineat, nisi tamen officij, quod gerit, ratio aliud expostularet, sed cum primum, vel ex quæstu laborum, vel alio quocunq; modo pecuniæ ad Moniales peruenerint, in communem Arcam conferantur, vel Moniali, quæ pecuniæ conseruationi præposita est, tradantur.

In illis vero Monasterijs, in quibus hoc commune depositum nō reperitur, fiat statim, habeatq; duas claues inter se diuersas, quarum vna penes præfectam, altera vero penes Monialem depositariam asseruetur.

Pecuniæ summam; quæ in singulos dies, in com-

in communem Arcam recondetur, Monialis depositaria celeraria, vel quocumq; alio nomine appelletur, in proprio libro ordinate describat, quod etiam seruet, cum pecunia ab arca extrahetur, pro Monasterij necessitatibus, & sexto quoq; mense accepti, & expensi rationem fideliter reddat coram præfecta, & Discretis; Monialium mensa pauper sit, quæ frugalitatē, & religiosam temperantiā præseferat.

Mensæ autem, tam matutinæ, quam vespertinæ præter benedictionem, & gratiarum actionem, semper sacra lectio adhibeatur, vt Dei famulæ non solum corporali cibo, verum etiam spiritualibus alimentis recreentur, mensq; & corpus eodem tempore reficiantur.

Pertinet etiam ad sanctum paupertatis votum, vt Monialium cellæ, nunquam claudantur, sed die noctuq; apertæ retineantur.

De Voto obedientiæ.

OBedientiæ, quam solemniter vouerunt, sciant Moniales maximum præmium esse constitutum, dicente Domino, obedientiam volo, & non Sacrificium: ideo illius officia exequi curent omni humilitate; obediantq; superiorum dictis, Monitis, ac præceptis, regulisq; præsertim ordinis sui, & in omnibus propriam abnegantes voluntatem, quam Deo in Sacrificium obtulerunt, superiorum voluntatem pro lege sibi proponant.

Ad obedientiam autem illud maximè spectat, vt quælibet Monialis prompta sit ad officia conuentus, omniaq; ministeria, etiam vilia obeunda, & singula munere suo rectè fungantur, nec vlla alterius officiũ occupet, nisi auxilij causa.

Siquæ verò ad obediendum difficiles se præbuerint, ieiunio, disciplinis, aliaue seue-

riori

riori pœna, pro modo culpæ præfectæ arbitrio puniantur.

Caueant autem Moniales, ne pœnitentiam sibi à præfecta iniunctam pertinaciter recusent, nec superbe, aut iniuriose respondeant, aut superioris temporis delicta sibi inuicem iniquo animo obijciant.

Quod si aliquæ in huiusmodi inobedientiam, & irreuerentiam prolabantur, vt earum elatio edometur, & compescatur, teneantur discretæ, illas apud nos statim accusare, & denuntiare sub pœna priuationis officij, & alijs arbitrio nostro imponendis.

Cum vero Moniales professæ non solum diuina, & Ecclesiastica præcepta verum etiam propriam ordinis sui regulam seruare teneantur; Mandamus, vt in omnibus Monasterijs ab aliqua moniali a Præfecta eligenda legatur quotidie omnibus audientibus saltem caput vnum constitutionum, & regulæ, cui per solemnem professionem

nem astrictæ sunt; & constitutionibus à principio usq; ad finem semel lectis, iterum relegantur, nec vnquam hæc sancta exer citatio intermittatur, sic enim fiet, vt crebra, ac sæpius repetita præceptorum commemoratione Moniales in suo munere obeundo, votisq; seruandis deligentiores euadant.

De Clausura Restituenda ac tuenda.

PRudentes Virgines, quæ accensis lampadibus, sequuntur agnum, quocunq; ierit, & æmulæ Angelicæ integritatis in carne præter carnem viuunt, id maxime curare debent, vt ab omni ex terorum consuetudine, familiaritate, & colloquio penitus se diuidant, vereq; & santa quadam superbia, dicere possint. Nostram conuersatio in cælis est, resignentq; in manu

manu Christi suos amores, sua desideria, suas voluptates, & voluntates, ità vt vnus Iesus sit illis omnia in omnibus.

Ad restituendam igitur, ac tuendam clausuram, Monialesq; segregandas ab omni etiam cognatorum consuetudine visum est nobis non nulla pontificijs Sanctionibus iam vetita renouare, & quadā etiam constituere. Præfecta, Ianitrices, aliaue Moniales nemini extero, licet fœmina sit Mater, Soror, consanguinea, aut etiam infans, aditum præbeant, nec ipsæ post emissam professionem, etiam ad breue tempus Monasterij septa ègrediantur, alias sciant se excommunicationis sententiam incurrere, ac etiam omnibus dignitatibus, & officijs perpetuò priuatas remanere.

C. Periculoso de statut. mon. in 6.

Conc. Trid. sess. 25. c. 5. de regul.

Si vero grauißima, & ineuitabilis necessitas emergeret educendi aliquas Moniales à septis Monasterij, vt putà ob magnum incendium, vel infirmitatem lepræ, aut epidimiæ, tunc à nobis causa huiusmodi

Conc. Trid. in dicto cap. 5. Pius V. in sua const. de qua in bulla. fol. 1069.

di

Greg. xiij. in alia conſtit. quæ incipit. Deo ſacris. fol. 1205.

di cognoſcatur, & approbetur, iuxtà decretum Sacri Conc. Trid. & conſtitutiones Pÿ V. & Gregorij xiij.

Eiſdemq́; pœnis ſubiaceant præfectæ, Ianitrices, aut aliæ Moniales, quæ ſine vrgenti, & neceſſaria cauſa, eos admiſerint, quibus ex facultate à nobis conceſſa, ſepta Monaſterij ingredi licet.

Licentias vero huiuſmodi ingrediendi ſepta Monaſterij nobis tantum dare competit, quam vis (Moniales ſint exemptæ) raro tamen concedantur, & non niſi, ex vrgenti, & neceſſaria cauſa; nec pro illis muneribus exequendis, quæ Moniales ipſæ obire poſſunt, exteri, in Monaſterio introducantur, cumq́; illos ad mittere opus erit, id campanulæ ſigno ſignificetur, vt Moniales protinus ſecedant, & ab eorum conſpectu ſe ſubtrahant, duæ autem Moniales ſeniores a præfecta conſtitutæ eos comitẽtur.

Famuli, vel operarÿ, quibus ex neceſſaria cauſa intrà Monaſterium diutius

manendi

manendi facultas à nobis data est, ad hortum colendum, vel ædificandum, cum Monialibus non colloquantur, exceptis duabus Monialibus prædictis, quæ præfecta eorum operi, & famulatui erunt præpositæ.

Omnes cuiuscumq; gradus, & conditionis existant, tam laici, quã Clerici seculares, & Regulares, qui absq; nostra licentia, septa Monasterij tam de die, quam de nocte ingredi præsumpserint, præter excommunicationis sententiam, quam ex Concil. Triditin. Decreto ipso facto incurrunt, alijs etiam grauißimis pœnis pro criminis, & personarum qualitate puniantur, Clerici vero, & Beneficiati à suorum ordinum executione arbitrio nostro suspendantur, & beneficijs priuentur. Conc. Trid. sess. 25. c. 5. de regul. & monial.

Intrà septa Monasterij, nulli, neq; mari, neq; fœminæ quamuis ipsis Monialibus inseruiat, pernoctare liceat sub pœna excommunicationis, quam etiam incurrat

præ

præfecta, quæ id permiserit.

Cum nemine autem, etiam consanguineo, nec ad crates, nec ad Rotam Moniales colloquantur, nisi saltem vna præsente ex illis, quæ audiendis sermonibus sunt præpositæ, ac nisi facultate à præfecta Monasterij prius impetrata: hanc verò facultatem præfecta nemini concedat, nisi prius visa licentia à nobis, vel Vicario nostro concessa, in Diœcesi autem à Vicario Foraneo.

Et quoniam peßimus inualuit abusus, vt Moniales dies festos, qui ad diuina beneficia recolenda sunt instituti, salutationibus, collocutionibus, & Extraneorum visitationibus tribuant, Mandamus in omnibus diebus festis ex Ecclesiæ præcepto sanctificandis, tempore item Aduentus, & quatragesimæ cum sacra Eucharistia sumitur, & cum diuina celebrantur officia, cella collocutionum claudatur, & præfecta, nulli Moniali cum extraneis colloquendi

quendi licentiam tribuat.

Si vero aliquid Monialibus erit dicendum, quod dilationem minime patiatur, vna ex monialibus rotæ Præfectis audiat, & referat.

Claudatur etiam ostium exterioris Ecclesiæ post missarum celebrationem, quibus vero diebus ob stationes, vel indulgentias ad Monasterij Ecclesiam populus conuenire solet, caueant Moniales, ne venientes prospiciant, sed oculos cautè custodiant, & sacris precibus assidue vacent.

Nulli Moniali liceat ad extraneum aliquem litteras dare, ideoq; priuatim in earum cellis, nec atramentarium, calamum, cartam, nec alia scriptionis vsui necessaria retinere possint, exceptis Monialibus ministris, quarum officium in scribendo versatur.

Cum vero contigerit moniales litteras ab aliquo accipere, non aperiant, antequam Præfectæ ostendant, & ne fraus in hoc com-

mitti poßit (literis fictis Præfectæ ostensis) mâdamus; vt moniales Rotariæ litteras omnes ad monasterium peruenientes accipiant easq; prius ad Præfectam deferant, quam moniali, cui datæ sunt, reddant.

Poßit tamen qualibet monialis scriptorijs instrumentis à Præfecta acceptis, ad nos, vel alium superiorem litteras obsignatas dare, si de aliqua re graui erimus admonendi, & à nobis pariter accipere. Quo tantum casu Præfecta litteras non perleget, nec aperiet.

Caueant insuper moniales, ne vnquam, etiam relaxandi causa, monasticum habitum dimittant, & secularibus vestibus virilibus, siue mulieribus, vtantur, cum non deceat Dei famulas apparere, tripudijsq; & saltationibus vacare.

F personatas

Illud deniq; ad clausuram conseruandam maximè spectat, vt superiores omnes sciant, ipsis non licere septa monasteriorum ingredi, nisi neceßitate vrgente, siq; contra fecerint.

Greg. xiij. in sua const. impressa in bul. fol. 1708.

fecerint pænas, & censuras in constitutione. Greg. xiij. contentas ipso facto incurrisse nouerint.

Famuli quoq; & alij monialium ministri, quibus potestas ingrediendi data est, caueant, ne licẽtia ipsis concessa abutãtur, si enim absq; necessitate monasteria ingrediuntur, pœnis in dicta constitutione Gregoriana contentis ipsi quoq; subiacere sciant.

Cum vero eos ingredi necesse erit, recta via locum petant, vbi operam suam nauare oportet, eamq; citissimè præstent, & absoluant, nec per monasterium vagentur, modestiam etiam, vbiq; seruent, nihilq; in eorum dictis, vel factis, inhonestum appareat, quod sacris Virginibus offensionis causam præstet.

Vt autem constet quos Ministros, & qua de causa septa Monasterij ingredi permittendum sit. eos nominatim hic recensere placuit.

Confessarius, vt languenti Moniali,

quæ ad confeßionale accedere nequit, pœnitentiæ Sacramentum, & sacram Eucharistiam administret, siq; infirmitas in longum protrahatur, singulis mensibus huiusmodi munus obire poterit. Item cum in mortis articulo Monialis erit constituta, vt Sacramentum extremæ vnctionis administret, aliaq; pietatis officia præstet.

Socius Confessarij, vt illum in ijs Ministerijs comitetur, & qui Confessario confeßionem audiente antè cellæ Ianuam, quæ omnino aperta sit, permaneat, vt Confessarium intueri poßit.

Medicus ordinarius Monasterij ægrotantium inuisendarum causa: si tamen grauior morbus id exposcat, etiam alter medicus adhiberi poterit, ità tamen, vt quoties ægrotantem Monialem inuisere voluerit, à nobis licentiam ingrediendi habeat.

Chirurgus, sanguinis mittendi causa, & si quando opus fuerit, vt vlceribus

me de

medeatur.

Molitor, vt à Monasterio in pistrinum frumentum asportet, & cum farinā reportabit, introire possit.

Id tamen per raro fiat vt puta quater in anno, aut ad summum semel in mense.

Pistor autem panis introferendi causa non ingrediatur, sed tantum ad Rotas vel Ianuas afferat, vbi etiam crudum excipiat, reliquum verò Moniales ipsæ peragant.

Olitor ad hortos, & Viridaria serenda, & colenda.

Coloni ad frumenta, vina, ligna, cæteraq; huiusmodi Monialium victu necessaria introducenda, & recondenda.

Iumenta agentes, ad ea inuehenda, quæ Moniales deferre nequeunt.

Intrà verò septa Monasterij non retineantur, nec alantur boues, equi, Asini, aliaue iumenta, cuiusuis generis, nec ad breue tempus quidem intus Monasterium

per

per manere possint, ideòq; in Monasterijs non adsint stabula; vel præsepia; neq; præterea fænum, vel palea conseruetur, si verò præfecta in hoc deliquerit suspendatur ab officio arbitrio nostro.

Syndici, & Procuratores Monialium, cum de demoliendo, vel ædificando consultabitur.

Fabri lignarij, ferrarij, Cementarij, cum eorum operam adhibere oportuerit.

Cum porta clausuræ aperienda erit, caueant Moniales ne è regione ipsius stent, nec Ianitrices in limine pedem ponant, indeq; prospiciant, & alloquantur eos, qui foris stant.

In reliquis verò circà fabricam Monasterij seruentur decreta, & reformationes à nobis factæ in Visitatione singulorum Monasteriorum.

Illudq; in primis erit curandum, vt Monasteria Monialium ex omni parte septa, altis, firmisq; parietibus cincta, atq; vallata

vallata existant, & ab omni vicinarum ædium prospectu libera sint.

Nihil in Monasteriorum structura, fabricauè innouetur, nullaq; fenestra, & nulli exitus aperiantur, & nihil penitus fiat, absq; nostra licentia. Conc. Trid. sess. 25. cap. 5. de regu. & monial.

Quamuis Monasterium curæ regularium commissum sit; omnis tamen ~~*enim*~~ *clausuræ declarandæ, & tuendæ cura ad nos spectet, etiam in Monasterijs exemptis.*

Monasteria omnia vnam tantum portam clausuræ habeant, bene solidam atq; compactam, & quæ nullas rimas, vel foramina habeat, claudatur interius duabus saltem clauibus, quarum vnam conseruet præfecta, alteram verò Ianitrices, si verò in aliquibus Monasterijs duæ portæ clausuræ reperiantur tolerari poterunt, cum simili cautela.

Valetudinaria, quæ infirmariæ vocantur, & communia vestiaria in omnibus Ciuitatis, & Diœcesis nostræ Monasterijs

in qui

in quibus non reperiuntur, quam primum fieri mandamus

Vbi etiam, non est ad huc constitutus locus scholæ Nouitiarum, & locus educationis puellarum, cum primum poterit, constituatur.

Turni siue Rotæ in quolibet Monasterio ad summum quatuor permittantur, vna in Ecclesia, ad sacrum Missæ apparatum exponendum, secunda in cellula Confessionum, altera communi portæ adiuncta, Quarta verò in loco collocutionum, quem parlatorium vocant.

Fenestræ collocutionum, si quæ in Ecclesijs reperiuntur, claudantur cum in Domo Domini orandum sit, & non colloquendum.

In Ecclesia verò adsit tantum fenestella, ad Confessiones audiendas, quæ clatris ferreis muniatur, eiusq; latitudo sit palmorum duorum, & totidem altitudo, apponaturq; in ea, lamina stamnea, cum

paruis

paruis foraminibus, quæ panno lineo ita obducatur, vt neq; auelli poßit, neq; demoueri, & vox quidem vltro, citroq; exaudiri poßit, mutuus verò aspectus Confessarij, & Monialium omnino impediatur.

Adsit etiam alia fenestella ad vsum Sacræ Communionis ministrandæ, quæ sit ad aspectum elegans, & ad prædictum vsum commoda, atq; ità constructà, vt exterius paulò latior sit, interius verò paulatim angustetur, claudatur fenestella huiusmodi duabus clauibus, intus à Præfecta Monialium, & extra a Cappellano, & nunquam aperiatur nisi ad vsum destinatum.

De Conuersis.

Conuersæ e septis Monasterij non egrediantur, sed clausuram seruent, & professionem faciant, prout cæteræ Moniales iuxta constitutionẽ Gregorij xiij. Si verò Monialium famulæ etiam non

Greg. xiij. in sua const. impressa in bul. pag. 1205. quæ incipit, Deo sacris.

professæ à monasterio semel exiuerint, vlterius non introducantur.

Cum autem Conuersæ sint communes Monialium famulæ, & prò communi commoditate continuè laborent, æquum est, vt ad eandem dotem Monasterio persoluendam, ad quam moniales velatæ tenentur, ipsæ non grauentur, poterunt itaque recipi cū minori eleëmosina dotali arbitrio nostro.

De Puellis secularibus, quæ in Monasteriis educationis causa morātur.

PVellæ educationis causa in Monasterio non admittantur absq; nostra licentia & monialium consēnsu capitulariter accedente. Nec recipiantur quæ teneræ nimis, aut prouectæ ætate sunt; declaramusq; ætatem Puellarum recipiendarum, vt non sint minores octo annis, aut maiores

viginti

viginti, nec expleto xxv. anno, amplius in Monasterio retineantur nisi moniales fieri vellent.

Non recipiantur illæ, quæ domi suæ habent, à quo commode educentur, & instruantur.

Illæ vero, quæ semel è monasterio exierunt, etiam aduersæ valetudinis causa, nec in illud, nec in vllum aliud recipiantur, nisi fortasse religionem profiteri vellent.

Soluant pro alimentis quantitatem frumenti, & pecuniæ à nobis taxandam, iuxta temporum, locorum, & personarum qualitatem, & hæc alimentorum solutio fiat anticipate de semestri in semestre, quod si illi, qui puellæ curam gerunt in mora soluendi fuerint, puellæ ad suos remittantur, & nihilominus alimenta iam decursa pro rata temporis soluere teneantur.

Puellæ huiusmodi solæ recipiantur, & quamuis nobiles, & Illustres essent, famulas in Monasterium non introducant, nec

etiam alicui Moniali priuatim seruiant.

Habeant in Monasterio locum separatum ab alijs Monialibus, ibiq; edant, cubent, & se exerceant, nec cum alijs Monialibus consuetudinem habeant præterquam in choro, cum missa, & diuina officia celebrantur, exceptis illis Monialibus, quæ dictarum Puellarum regimini, & educationi præpositæ erunt.

Nec vnquam permittatur puellas huiusmodi cuiuscumq; sint ætatis dormire cum Monialibus sub quouis prætextu; cum verò puellæ duodecim annos attigerint, solæ omninò dormiant.

Vestitu modesto albò tantum, non tamen serico, omnes vtantur.

Circinnos, Inaures, Monilia, aliaq; vana ornamenta non adhibeant; veloq; simplici, & puro caput contegant, alias è Monasterio eijciantur; & Nouitiarum Magistra, si id nobis non denunciauerit, incurrat pœnã excommunicationis. In colloquendo

quendo cum extraneis, litteris accipiendis, & mittendis, eiſdem legibus ſubiaceant, quibus Moniales, & eamdem ſeruent clauſuram, quam ipſamet Moniales ſeruant.

Cum aliqua iſtarum puellarum Monaſticum habitum petierit ad paternam Domum remittatur, ibiq; ſaltem duobus menſibus commoretur, vt facilius, & melius eius libera voluntas exquiri, & explorari poſſit, ſiq; intereà in eodem propoſito perſeueret, ea præſtentur examina, & exercitationes, quæ ſupra de reliquis ſancitæ ſunt.

Cum verò de earum carnali Matrimonio agetur, non permittatur vnquam ad cellam collocutionum accedere, nec huiuſmodi tractatus in Monaſterio publicetur, & poſtquam intellectum fuerit earum aliquam nuptui traditam fuiſſe, ſtatim præfecta ea de rè nos certiores reddat, inſtetq; vt nulla mora interpoſita e Monaſterio educatur, & ad domum ſuam remittatur.

D E

De Monialium concionatoribus, Confessoribus, & Cappellanis.

Concionatores à nobis electi saltem semel in mense, Quatragesima verò, & Aduentus tempore ter in hebdomada ad Cancellos collocutionis, vel ad fenestellas Ecclesiæ Monialibus vniuersis prædicent.

Huiusmodi autem Concionatoribus cum Monialibus separatim colloqui non liceat, nisi à nobis, vel Vicario nostro id specialiter fuerit permissum.

Monialium Confessarij eligantur matura ætate, honestis, & probatis moribus præditi, disciplinæ regularis studiosi, & pietatis amatores.

In eo munere non permaneant vltra triennium, nisi tamen nobis, vel alijs Regularium

rium Monasteriorum Superioribus aliud expedire videatur.

Socij Confessorum, etiam Regulares, sint ætate prouecta, modestia, & Religionis studiosi, ac superiori suo probati, nec vllam monialem alloquantur, nisi cum ad rotas ali quid erit postulandum.

Vt autem plenius succurramus occultis animarum morbis, mandamus iuxta dispositionem Sacri Conc. Trid. vt bis, aut ter in anno præter ordinarium confessorem offeratur etiam monialibus extraordinarius Confessor, sic enim liberius, & minori cum verecundia (quæ plerunq; virginibus os claudere solet, ne sua pudenda detegant) nouo Confessori conscientiam aperient, & Diaboli laqueos euadent. Conc. Trid. sess. 25. c. 10 de regul. & monial.

Cappellani etiam Monialium, bene audiant, honestis moribus sint, & Monasterij superiore approbati, suoq; stipendio contenti viuant, nec ab aliqua moniali, nec etiam à Præfecta munuscula accipiant videlicet

delicet. eſculenta, poculenta, corporalia, indumenta clericalia, vel aliam Sacram ſupellectilem, ſub pœna arbitrio noſtro imponenda.

Nulli veró Sacerdoti, absq; noſtra licentia in ſcriptis obtinenda, in Eccleſijs Monialium celebrare liceat ſub pœna ſuſpenſionis.

De Syndicis, aliiſq; Monialiũ miniſtris, & famulis.

Cap. 1.

SYndici Monaſteriorum eligantur viri graues, & maturi à nobis approbandi, duretq; eorum officium per triennium, volumus enim pro bono monaſteriorum regimine nouos Syndicos tunc eligi, cum noua Abbatiſſa fit electio.

Mandamus etiam pro maiori monaſteriorum cautela, vt Syndici prædicti antequam

quam officium exercere aggrediantur, iurent in manibus nostris, vel nostri Vicarij generalis, se fideles in eo munere futuros.

Cæteri verò Monialium Ministri, vt puta Medici, Chirurgi, Molitores, Pistores, & alij quicumq; in Monasteriorum famulatu permanentes sint, quoad fieri poterit, ætate graui, & confirmata, spectatæ vitæ, & probitatis; Præfectaq; neminem ad Monasterij famulatum admittere audeat, nisi licentia, & approbatione nostra præcedente.

De Decimis, & primitiis.

VAlde deploranda est horum temporum conditio, postquam eo prolapsa est humana temeritas, vt pleriq; ac præsertim potentiores diabolica fraude decepti, & suæ salutis penitus obliti, non solum integras decimas, & primitias Deo soluere recusent, sed quod grauius

eſt, Decimarum ſolutionem varijs figmentis de medio penitus tollere attentent, propriaq́; auctoritate ab illarum præſtatione ſe immunes reddant; & de hoc conqueritur Dominus per Malachiam prophetam dicentem. Homines Deum affligere, quod Decimas, & primitias non ſoluant, ob idq́; iraſci, vt catharattas Cæli non aperiat, maledictionem pro benedictione, ſterilitatem pro abundantia tribuat; fructusq́; propterea corrumpantur, & terra ſterilis redigatur. & alibi, Quia mihi Decimas non reddidiſtis, idcircò in fame, atq́; penuria maledicti eſtis.

Malach. c. 3. exod. 22. & 23. num. 18 c. decimas 16 q. 1. c. decimas cum ſeq. 17. q. 7. c. Parochianos. c. ex tranſmiſſa & c. tua extra de dec.

Cognoſcimus itaq́;, teſte Beato Hieronymo, quod ſi quando fames, & penuria rerum omnium mundum opprimit (prout his extremis temporibus) iuſto iudicio Dei fit, qui ſe ob Decimarum ſolutionem fraudari conſpicit; & profectò nimis graue eſt, quod homines tam deteſtabili ingratitudine laborent, vt Deo omnium bonorum largitori

gitori

gitori exiguam fructuum partem restituere nolint; quod si fraudantes Decimas, ità Dominus abhorret, vt eos, eorumq́; bona maledictioni subijciat, quanto magis ij detestandi erunt, qui omninò se à Decimarum solutione eximunt, quasi diuinæ potestati non subijciantur cum à solutione tributi, quod in signum vniuersalis Dominij Deus (cuius est terra, & plenitudo eius) sibi reseruauit, se liberos esse asseuerent.

Quapropter ne serpens ille antiquus Gregem nobis commissum vlterius hoc auaritiæ genere decipiat, sacri Conc. Trid. Decretis inhærendo statuimus, decernimus, & declaramus, nemini secularium in quacumq́; dignitate constituto licere; sine diuinæ maledictionis incursu, sub cuiusuis possessionis, præscriptionis, seu consuetudinis, etiam immemorabilis prætextu, se à decimis immunem, ac liberum esse asserere, sed omnes ad decimarum Sacramentalium, & prædialium solutionem teneri iuxtà anti-

Conc. Trid. sess. 25. c. 12 non sunt ser.

Cap. omnes decimę cum seq. 16. q. 7. & c. decimas Deo, eadem quęst & eam cap. ad Apostolicę, & c. in aliquibus, extra de dec.

quam locorum consuetudinem: qui autem à solutione decimarum se liberos, ac immunes esse prætendent, priuilegium seu alium legitimum titulum verum, & non præsumptum, ac per authentica documenta ostendere debeant: possessio autem, præscriptio, seu consuetudo, etiam immemorabilis nõ suffragetur, cum ex negligentia decimas percipiẽtium, & vsurpatione, fraude, ac delicto illas soluere recusantiũ huiusmodi corruptelas introductas esse compertum sit.

Hortamurq; vniuersos Pastorali benignitate, vt quod Dei est, hilari animo Deo reddant, hilarem enim datorem diligit Deus, nec ministrorum, quibus decimæ soluuntur, vitam considerent, sed ab eo oblationum suarum præmium expectent, qui in centuplum omne bonum remunerare solet, nec vereantur vnquam ex decimarum solutione horreum euacuare, considerentq; maiores nostros, qui ideò bonis omnibus affluebant, quia integras decimas Deo persolue

soluebant: nunc verò; quia earum abscessit vsus, fisci successit apprehensio, & Domini indignatio, quia propter male parta iuste quæsita nobis auferri permittit, iuxta infrascriptam D. Augustini auctoritatem.

Decimæ tributa sunt egentium Animarum, quod si decimam dederis, nō solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis, & animæ consequeris. Cap. decimę tributa. 16. q. 1.

Deus qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatus est recipere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam, si tu illi decimam non dederis, iustißima eius consuetudo hæc est, vt tu ad decimam reuoceris, id est decima tantum remanebit tibi, vel dæmonibus sociaberis, qui sunt decima pars Angelorum, sicq; dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti.

Cap. 2.

Parochi semel, aut bis in anno publicent populo inter Missarum solemnia decretum Sacri Conc. Trid. quod incipit: Non sunt Conc. Trid. sess. 25 c. 12

ferendi

ferendi, In quo denegantes decimas, aut in illarum solutione fraudem comittentes excommunicationis sententiæ subiacere sancta Synodus declarauit.

Decretum autem huiusmodi, pro maiori omnium intelligentia in vulgarem sermonem transferri mandauimus, ac in fine præsentium constitutionum imprimi

Cap. 3.

Conuentiones omnes, & transactiones factas inter Parochos, & vniuersitates locorum circa solutionem decimarum irritas, ac nullas declaramus, nisi confirmatione Apostolica sint roboratæ, vel saltem de consensu nostro, vel Prædecessorum facta appareant.

Cap. 4.

Vt omnis penitus ambiguitas circa Decimarum solutionem tollatur, sancimus à Canonum Decretis nō deuiantes; vt si in aliqua Parochia vel Territorio Parochus, aut Beneficiatus ab omnibus, vel à maiori

parte

parte Decimas percipiat, ex hoc intentionem suam fundatam habeat) vt omnes Decimæ, etiam illæ, in quarum possessione percipiendi alius non fuerit, de iure competere censeantur, solaq; maioris partis Decimarum perceptio, seu possessio probata, quo ad omnes subditos, & Terras intra Parochiæ fines existentes, & in quibus alij Decimas non perceperunt acquisita, & probata existimentur, & contrà soluere recusantes procedi possit, quouis abusu circa præmissa penitus sublato; quæ omnia tam in antiquis prædijs, quam in noualibus sibi locum vendicent.

Cap. 5.

In illis verò locis, vbi plures Ecclesiæ Parochiales reperiuntur, æquum arbitramur, vt Decimarum solutio sit vniformis; mandamus itaq; vt Parochi omnes exigant in eorum Parochijs Decimas, prout in eodem loco exiguntur à plebano siue Rectore, maioris Ecclesiæ, à qua cæteræ inferiores exem-

plum

plum sumere debent.

Cap. 6.

Decimales causas, tanquam mera spiritu-ales coram Ecclesiasticis iudicibus tra-ctandas, & terminandas esse decernimus, licet pro illarum faciliori, & celeriori exa-ctione Iudicum temporalium auxilium im-ploremus.

De Legatis Piis illorumq; executione, & denun-ciatione.

Cap. 1.

Conc. Trid. sess. 22. c. 8. de reformat.

HAEredes, qui vltimarum volunta-tum executores, si legata pia anni spatio ad summum, vel tempore à Testatore assignato non soluerint, & exe-cutioni demandauerint, à Vicario nostro pœnis à iure constitutis ad id compellantur, nec terminus à iure, vel ab homine præfixus

prorogetur,

prorogetur, ne forsan ob dilatam legatorum piorum executionem testantium animæ diutius in Purgatorio detineantur.

Cap. 2.

Notarij omnes, qui in posterum testamenta, codicillos, & legata ad pias causas conscripserint, teneantur infra mensem à die obitus testatoris legata prædicta nobis, vel Vicario nostro generali, aut saltem Rectori illius Ecclesiæ, cui legata facta sunt, denunciare, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda.

Cap. 3.

Nemo sub eadem excommunicationis pœna audeat dehortari, vel aliquo modo impedire, directè, vel indirectè per se, vel per interpositam personam illos, qui locis pijs, vel ad pios vsus aliquid legare volunt.

Et hæc nostra Synodalis constitutio bis, aut ter in anno à Parochis Vrbanis, & Diœcesanis inter Missarum solemnia populo publicetur.

Cap. 4.

Habeant Parochi omnes, & reliqui Ecclesiarum Rectores proprium librum, in quo ordinatè describant legata suis Ecclesijs facta, illorumq; satisfactionem, nec nō onera legatis ipsis annexa.

De Monte Pietatis.

Cap. 1.

INter omnia loca pia primum locum videtur obtinere Mons Pietatis, prout nomen ipsum demostrat, eoq; præsertim consilio Montes huiusmodi laudabiliter, & sanctè fuerunt instituti, & à Leone X. confirmati, vt pauperum consulatur inopia, nè impia vsurarum voragine deglutiantur.

Leo X. in Cōstitut. impressa in bullario Pag. 189 quę incipit. Inter multiplices.

Cap. 2.

Pro recta igitur horum Montium administratione, decernimus in primis, vt eligantur Conseruatores, & Custodes, viri probatæ fidei, bonæ conditionis, & famæ, nec vsu-

vsurarij, & auari Sacri Montis administratione præficiantur, cum tanquam antidotum aduersus venenum vsurariæ prauitatis fuerit institutus.

Cap. 3.

Teneantur autem officiales huiusmodi singulis annis rationem reddere suæ administrationis corám nobis, vel nostro Vicario generali, & rationalibus à Cõmunitatibus eligendis. In Diœcesi autem corám Vicario foraneo; liberationesq́; & quietationes aliter factæ, quam nostra, vel officialium nostrorum auctoritate, dictis administratoribus nullo pacto suffragentur, iuxtà decretum Sacri Conc. Trid. Conc. Trid. sess. 22. c. 9.

Cap. 4

Officium dictorum Administratorum sit ad summum triennale, eodem Concilio ità disponente, nisi tamen in fundatione aliter cautum esset. Conc. Trid. sess. 25. c. 8. in fine.

Cap. 5.

Pignora, nè à carie, tineis, pulueribus,

aliisq; immunditijs corrumpantur, curēt officiales, ut singulo quoq; mense purgentur, quod si eorū culpa, & negligentia aliqua pignora perierint, de suo proprio Monti satisfaciant.

Cap. 6.

Cuiusuis generis Armorum, & librorum pignora non recipiantur, illa etenim ipsorum Domini redimere negligunt, nec eorumdem pignorum emptores facile inueniuntur. Quod si is, qui recipiendis pignoribus est præfectus, in hoc deliquerit, de proprijs pecunijs Monti satisfaciat, & pignora pro se retineat.

Cap. 7.

Pignora omnia in posterum recipienda, si elapso anno à proprijs Dominis non redimantur, subhastentur, & vendantur. Si autem officiales Montium in hoc defecerint, eorum in officio Successores dicta pignora recipere non teneantur.

Cap. 8.

Vt autem Montes huiusmodi perpetuò conser

conseruentur, nec ad nihilum redigantur, Statuimus in futurum pecunias alicui non tradi, nisi super pignoribus maioris valoris vltra dimidiam, quam sint pecuniarum quantitates, quæ mutuo dantur.

Cap. 9.

Prò quolibet pignore maioris valoris vt supra, mutuentur ad summum in nostra Ciuitate Auximana floreni decem, & non vltra, In Diæcesi autem seruentur Decreta, quæ (consideratis singulorum locorum qualitatibus, & Montium facultatibus) in nostra Visitatione fecimus; siq; officiales maiorem summam tradiderint, grauiter puniantur arbitrio nostro.

Cap. 10.

Qui diuersis pignoribus expositis, diuersas etiam pecuniarum quantitates receperit, Meliora pignora, deterioribus dimissis, reluere non possit, nec minus pignora semel tradita permutare, aliaq; in locum ipsorum substituere, vt fraudibus, quæ in

huius

huiusmodi permutationibus committi solent, obuietur.

Cap. 11.

In fraudem Montis, nostræq; Constitutionis Synodalis pignora redimere non liceat, vt eadem statim, vel breui temporis interuallo iterum in pignus dentur, si enim huiusmodi collusio admitteretur, nunquam pignora vendi possent, cum vnusquisq; in fine termini pignora relueret, eaq; incontinenti pignoraret.

Cap. 12.

Pignora subhastata emptoribus non consignentur, nisi elapso termino Dominis ad reluendum aßignato, iuxtà Montium constitutiones.

Cap. 13.

Administratores Mõtium pietatis, aliiq; officiales, quocunq; nomine nuncupati, non audeant per se, nec per interpositam personam pignora emere, sub pœna excommunicationis. In reliquis verò seruentur statuta

tuta, Constitutiones, priuilegia, & immunitates; & laudabiles consuetudines singulorum Montium, & Decreta nostra visitationis.

De Hospitalibus

Cap. I.

EX omnibus Christianæ charitatis officijs, quibus æterna salus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori nostro summopere placent, per quæ pauperes, & infirmi in Hospitalibus adiuuantur, de his enim præcipuè operibus iustus Iudex in vltimo iudicio exquiret. Maximè igitur nobis cordi est, vt Hospitalia nostræ Ciuitatis, & Diœcesis recte administrentur, pauperes benignè recipiantur, infirmi curentur spiritualiter, & corporaliter, omniaq; alia ad hoc pietatis officium Deo gratissimum pertinentia, Christi Hospitijs inuiolatè custodiantur.*

Ho

Cap. 2.

Hospitalium gubernatio, & administratio committatur viris probis, boniq; testimonij, & qui inter cæteros charitate, pietate, & vitæ spiritualis studio præstent.

Electio autem Gubernatorum, & Administratorum Hospitalis, fiat coram nobis, vel Vicario nostro generali; & in Diœcesi coram Vicario foraneo, aut saltem Parocho.

Cap. 3.

Eligi non poßit Procurator, & Syndicus Hospitalis, qui eidem Hospitali pecuniam aliquam debet, aut alio quouis modo est obligatus.

Cap. 4.

Officiales electi teneantur ex Constitutione Concilij Viennensis, quæ incipit. Quia contingit, per Clemētem quintum edita, antequam administrationem suscipiant, iuramentum præstare in manibus nostris, vel Officialium nostrorum, se fideliter, & accuratê

C. quia contingit de reli. Dom.

curatè munus ſuum executuros.

Cap. 5.

Initio ſui offitij perquirant diligenter bona, & iura Hoſpitalis, & ſi qua occupata inuenerint, recuperare non differant, iuſtitia mediante, omniumq́; conficiant inuentarium.

Cap. 6.

Bona Hoſpitalis affinibus, vel conſanguineis vsq́; in tertium gradum non locent, nec pro ſe retineant, etiam per interpoſitam perſonam locationis, vel emphyteuſis nomine, ſed quæ locanda erunt publice proponant, facta æquè omnibus conducendi poteſtate.

Nec etiam bona prædicta vendant, permutent, aut in emphytheuſim concedant, niſi ſeruatis omnibus, quæ Sacrorum Canonum decretis cauta ſunt, & noſtra etiam accedente auctoritate, & conſenſu.

Cap. 7

Nulli etiam pecuniam Hoſpitalis mutuo dent, niſi nobis ſcientibus, & conſentien

tibus, alioquin ab adminſtratione amoueantur, & pecuniam ſic mutuatam reſtituere cogantur.

Cap. 8.

Officium Adminiſtratorũ, ne ex longa, & continuata adminiſtratione bonorum Hoſpitalis ſibi quodammodo arrogent, imperium ſit annale, vel biennale, vel ad ſummum triennale, teneanturq; in fine officij ſuæ adminiſtrationis exactiſsimam reddere rationem coram nobis, vel noſtris officialibus, ac eorum in officio Succeſſoribus.

Cap. 9.

Meminerint autem qui Hoſpitalium gubernationi ſunt præpoſiti ſe pauperum, Infirmorum, & miſerabilium perſonarum curam ſubſtinere; quæ tanti eſt, vt ab antiquis patribus Sanctiſsimis Epiſcopis tanquam communibus pauperum parentibus ſit commiſſa: & quicquid beneficij in ipſos pauperes contulerint, Chriſto Domino contuliſſe

tulisse sciant, existimentq́, dum illa charitatis officia exercent, se Christo semper ministrare, à quo etiam vberrimam laborum suorum mercedem recipient.

Cap. 10.

Linteamina Hospitalis omnemq́; eius supellectilem pauperum, & Infirmorum vsibus addictam, mundam conseruari curent.

Cap. 11.

Is, cui Hospitalis cura committitur, qui Hospitalarius dicitur, sit vir fide, moribus, & charitate probatus, & virorum grauium testimonio commendatus.

Cap. 12.

Caueat, ne ab vllo, cum Hospitium ingreditur, vel inde discedit, aliquid vel minimum exigat, nec etiam sponte datum accipiat.

Cap. 13.

Studiosè curet ne pauperes, & peregrini Hospitio excepti aliquid perpetrent contrà

bonos mores, & christianam pietatem.

Vt mares cum fœminis non conuersentur, nec in eodem cubili etiam sub Matrimonij specie dormiant, nisi tamen manifestè constaret eos coniuges esse.

Cumq; in Hospitalibus adsint Nosocomia, siue Dormitoria distincta Marium, & faminarum, videat oculatissimè idem Hospitalarius, ne simul cohabitent, & sacer ille locus Adulterijs, stupris, & fornicationibus polluatur.

Nec etiam permittat pueros cum maioribus natu in eodem lecto cubare, vt omnis peccandi Vitetur occasio.

Cap. 14.

Peregrinos, qui rectè valent, vltra triduum in Hospitali commorari nō patiatur.

Cap. 15

Ab Hospitali omninò eijciantur mendicantes validi, scurræ, Mimi, Histriones Præstigiatores, Circulatores, Blasphemi, Vagi, Nebulones, Aleatores, etid genus, hominum,

minum, nec etiam recipiantur illi, qui turpis quæstus auidi, captiuos apud Infideles se fuisse mentiuntur, vel morbo comitiali, aut aliqua occulta & insanabili infirmitate laborare simulant, nec qui mulieres circumducunt.

Qui omnes non solum ab Hospitali excludantur, verum etiam grauiter increpentur: vt à pestifero otiosæ vitæ genere, ad laborem, & industriam aliquam se conferant.

Cum illis verò benigna seruetur Hospitalitas, qui vere pauperes sunt, Peregrini, Infirmi, senio confecti, qui suis manibus laborare, & victum, & vestitum sibi comparare nequeunt.

Cap. 16.

Curet Hospitalarius, vt Infirmi cum primum conualuerint, ab Hospitali discedant; Vt cum Infirmi Hospitale ingrediuntur, statim peccata sua confiteantur, & deinde sæpius.

Vt

Vt agris opportunè sacrum viaticum ministretur, & ingrauescente morbo, extremæ vnctionis Sacramentum adhibeatur, aliaq; pia officia, quæ moribundis ad animæ salutem, & commendationem præstari solent, ipsis quoq; præstentur.

Si quos aliquos mori contigerit, Ecclesiastica tradantur sepultura.

Eorum autem, quos in Hospitali diem vltimum claudere contigerit, nomina, cognomina, patriæ, & obitus dies in certum librum ad id destinatum referantur.

De Sodalitabus laicorum

SIcuti ex laicorum sodalitatibus pié institutis, & sanctè administratis maxima solet prouenire vtilitas, sic etiam ex eisdem, nisi rectè administrentur, dissensiones, & publica scandala exoriuntur, & quod ad salutem Animarum & Religionis augumentum fuit institutum, contrarium

trarium operatur; versutijs & fraudibus Inimici hominis, qui custodibus dormientibus, bono tritico superseminat zizaniam.

Cupientes igitur vt in omnibus Confraternitatibus nostræ Ciuitatis & Diœcesis pietatis, & charitatis officia assiduè colantur; sanctæ Orationi, & sacramentorum susceptioni Confratres vnanimiter vacent; & tanquam viua Christi membra, & filij lucis, lucis etiam fructus ferant; sintq; re, & nomine Confratres, & exclusis ab his sanctis Congregationibus corruptelis omnibus, alter alterum coadiuuet, & in via mandatorum Domini, infrascripta decernimus, & seruanda proponimus.

Cap. 2.

In primis iubemus, vt nullæ deinceps Confraternitates instituantur, absq; sedis Apostolicæ, aut nostra auctoritate, quæ in scriptis tradatur, & si aliquæ institutæ iam sint, sine eadem facultate habitum sodalitatis non induant.

Cap.

Cap. 3.

Regulæ, Constitutiones, siuè Capitula omnium sodalitatum ad nos, vel Vicarium generalem, vnius mensis spatio deferantur, vt recognoscantur, & vbi opus fuerit, corrigantur, vel si nullas habeant regulas, vel constitutiones à nobis aliquas accipiant, cum non deceat confratres sine lege viuere, Regulas verò confirmatas diligenter obseruent confrates, & Domino nostro Iesu Christo, sub cuius vexillo militant, fidelem exhibeant seruitutem, & tanquam strenui milites infensissimum humanæ salutis hostem expugnent, & deniq; vna cum Apostolo dicere poßint. Bonum certamen certauimus, cursum consumauimus, in reliquo reposita est nobis corona iustitiæ.

Cap. 4

Noui confratres nō temerè, nullaq; adhibita diligentia recipiantur, sed præmissa humili oratione, & Spiritus Sancti gratia deuotè implorata, admittantur, per secreta

suffragia, & ità demum sodalitati ascripti censeantur, si duas ex tribus partibus votorum habuerint.

Cap. 5.

Vsurarij, concubinarij, ac turpis vitæ & infamiæ labe notati, in Societatibus non ascribantur, siq; ascripti iam sint, & moniti non resipiscant, è Confratrum numero deleantur; nec etiam inter Confratres annumerentur qui doctrinam christianam ignorant, Decet enim huiusmodi sanctas Cõgregationes repleri hominibus Dei timoratis, charitate feruentibus, & christianæ perfectionis cupidis.

Cap. 6.

Minores etiam sexdecim annis in sodalitatibus non recipientur.

Qui in Confratrum numero ascribi voluerit, nec pecuniam, nec aliud quippiam soluere cogatur, siq; in aliquibus societatibus praua reperiatur consuetudo aliquid soluendi, eam penitus abrogamus,

nec deinceps seruari mandamus.

Cap. 7.

Cum verò aliquis in societate erit ascribendus, amictum siuè saccum, quod insigne Societatis est, eidem dari non liceat, nisi præsente parocho, vel societatis Cappellano, qui dictas Vestes benedicat.

Indumenta verò Confratrum, quæ saccos appellant, ad Sanctam humilitatem, et mortificationem indicandam, in priuatis Confratrum domibus non retineantur, sed in Schola, siue Oratorio, & in communi loco ad id destinato.

Cap. 8.

Et quia plerumq; cum magna populi offensione controuersiæ de prælatione inter Confratres exoriri solent, mandamus iuxtà Constitutionem Gregorij xiij. editam de Anno. 1583. vt tam in priuatis, quam in publicis processionibus Confratres illi præferantur, & digniorem locum obtineant, qui prius habitu, & saccis vsi sunt.

Greg. xiij. in sua constitut. quę incipit. Exposcit. impressa in bul. pag. 1323.

Quam-

Cap. 9.

Quamuis Confratres in omni tempore diuinis laudibus Vacare debeant, omnesq́; eorum cogitationes, & opera ad Dei gloriam dirigere, dicente Propheta. Benedicam Dominum in omni tempore, Semper laus eius in ore meo: Id tamen præcipuâ deuotione exequi debent, in diebus festis, qui ad diuina beneficia recolenda sunt instituti.

Quapropter Cōfratres in omnibus festiuitatibus ex Ecclesiæ præcepto custodiendis conueniant in eorum Oratorijs, ibiq́; sanctæ Orationi & meditationi dominicæ paßionis Vacent, de collatis beneficijs Deo gratias agant, cogitentq́; præcipuè beneficium Redemptionis; & quod inter christianos solo diuinæ bonitatis munere, & nullis præcedentibus meritis nati sunt, Recitent officiū Beatæ Virginis; aliasq́; pias preces iuxta Societatis institutum, & reminiscantur, quod in medio eorum reperi-

tur Christus, ità enim ipse pollicitus est, dum dixit, Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio eorum sum.

Cap. 10.

Caueant autem; ne in dictis eorum Oratorijs conueniant diebus Dominicis & festis, cum in Ecclesia cathedrali, vel Parochiali diuina recitantur officia, Missa Conuentualis celebratur, vel sacra Concio habetur, sed omninò antè, vel post id facere studeant.

Cap. 11.

Cum autem Sacramentum pænitentiæ, & sacræ Eucharistiæ, tanquam duæ firmissimæ columnæ spirituale ædificium omnium Confraternitatum debeant substinere, decernimus, vt vnaquæq; societas propriam habeat Sacerdotem, & Confessarium approbatum, cui debitis temporibus Confratres confiteantur; & collegiatim sacram Eucharistiam sumant, excepto

Paschali

paschali tèmpore, tunc enim proprium Parochum adire debent.

Cap.12.

Confratres omnes, saltem semel in mense ad Sacramentum Pænitentiæ, tanquam secundam tabulam post naufragium, confugiant, & qualibet prima Dominica Mensis Sacrosanctum Viaticum humiliter recipiant, quod etiam facere non omittant in solemnioribus festiuitatibus Natiuitatis Domini, Ascensionis, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum, ac prætereà in diebus festis illorum Sanctorum, sub quorum patrocinio militant Confraternitates, Curentq́ firma fide, ardenti deuotione, & conscientia munda ad Angelorum mensam accedere, nè tanquàm Sacrilegi recipiant maledictionem pro benedictione.

Cap.13.

Cupimus etiam vt Confratres omnes non omittant quotidiè Sacrosancto Missæ

Sa-

Sacrificio intereſſe.

In Oratorijs ſeruetur ſilentium, & de illis tantum rebus Confratres colloquantur, quæ ſacro illi loco conueniunt.

In ingreſſu Oratorij quilibet dicet pax vobis, & facta debita oratione, ad locum ſuum modeſte accedet, nec inde diſcedet absq; licentia Prioris, vel ſuperioris.

Cap. 14.

In confratrum oratorijs nullæ fiant palmarum benedictiones, aut candelarum, nec alia, quæ ad parochos tantum pertinent; huiusmodi enim ſodalitates ſemper intelliguntur erectæ, absq; præiudicio parochialis Eccleſiæ.

In eiſdem etiam oratorijs ſepeliri non liceat, etiam Confratrum cadauera; niſi id licere ex priuilegio, vel immemorabili conſuetudine conſtiterit. Vbi verò Confratribus tantum ius ſepulturæ conceſſum eſt, id ad alios non transferatur, etiam electionis prætextu, ſed nec in Confratribus hoc

ſer-

seruetur, nisi per sex menses antè obitum sodalitati fuerint legitimè ascripti.

Cap. 15.

Sint Confratres eleemosinarij, & quandocumq; in eorum oratorijs conueniunt, aliquam piam eleemosinam in capsula ad id constituta, ponant, ad pauperum, & infirmorum subuentionem.

Eleemosinas autem, cuiusuis sodalitatis Confratres, non quaeritent absq; facultate in scriptis obtinenda ab Episcopo.

In petendis verò eleemosinis, tam pro societatibus, quam etiam pro alijs pijs locis, haec seruentur, vt Eleemosinarum Collector sit Auximanae Diaecesis, bonae conditionis; & famae. Non sit ex numero Quaestorum, quos damnauit Sacrosancta Tridentina Synodus. Conc Trid. sess. 5.c. 2.de reform. vers. Questores verò, & sess. 21 c. 9. & vlti. de reformat.

Illud officium gratis, vel aliqua constituta mercede exerceant, & nullo pacto sint participes eleemosinarum.

In eleemosinarum verò distributione

nullo

nulla committatur fraus, sed verè pauperibus distribuantur, & in pauperum electione non solum egestatis & inopiæ, verum etiam vitæ, probitatis habeatur ratio: omnibus enim debetur misericordia, sed iusto amplius; Caueantq; omnino huiusmodi Dispensatores Sanguinis Christi, ne carnis affectum sequantur, sed solum Deum præ oculis habeant.

C. non satis, dist. 86. Turrecr. in c. illud num. 8. dist. 30.

Cap. 16.

Nullus Confratrum cum sacco est indutus gestare possit aliquod armorum genus, nec in Oratorium inferre sub pœna excommunicationis.

Cap. 17.

Commessationes, & compotationes inter Confratres societatis impensa omnino prohibemus, sub pœna excommunicationis.

Cap. 18.

Inter Confratres nulla vigeant contentiones, sed fraterna eluceat charitas, fraternæq; correctionis officium ad inuicem nõ

præter-

prætermittant, multa enim mala hodiernis temporibus fiunt ex prætermisso, vel neglecto tam necessario christianæ charitatis munere, & cum ipsi sint Confratres, sic etiam suorum Confratrum maximam curam habere debent.

Cap. 19.

Ad solemnes processiones, etiam si nominatim non fuerint vocati, accedere teneantur, & in huiusmodi sacris & publicis actionibus summo vtantur silentio, & christianam deuotionem, & modestiam præse ferant:

Ad funera etiam inuitati accedere non omittant ad horam à parocho Defuncti præscriptam.

Corpora autem mortuorum sine proprij parochi licentia suscipere non possint, & contrà facientes seuere puniantur.

Cap. 20.

Habeat qualibet societas Tabellam, in qua nomina Confratrum ordinatè describantur

bantur.

Habeat etiam tres libros ad vſum infraſcriptum.

In primo libro annotentur propoſitiones in Capitulo factæ, ac deliberationes inde ſecutæ per ſcribam ſiue Cancellarium à ſocietate deputandum.

In ſecundo libro diſtincte referantur legata omnia ſocietati facta, atq; onera illis annexa in celebratione Miſſarum, diuinorum officiorum recitatione, eleemoſinarum diſtributione, vel alterius generis, ac præterea onera prædicta in tabella annotentur, quæ in oratorio, & in loco conſpicuo affigatur.

Cureturq; vt bona ad certum vſum ſocietatibus relicta ad alios non conuertantur, ne piæ fidelium voluntates defraudentur.

In tertio verò libro annotentur introitus incerti, & eleemoſinæ, quæ dietim offeruntur.

Bona

Cap.21.

Bona stabilia Societatum non possint in aliquo pacto, nec sub quouis prætextu alicui ex Confratribus locari.

Nec etiam aliquod inter Confratres habeat officium, qui pecuniam, vel aliud societati debet.

Cap.22.

Vtq; bona societatum in dies augeantur, ac debite conseruentur, mandamus omnium bonorum mobilium, & stabilium plenum fieri inuentarium infrà terminum vnius mensis, illudq; consignari Vicario generali, vt in Archiuio Episcopali asseruetur.

Cap.23.

Singulo quoq; anno noui Confraternitatum eligantur officiales, vtq; omnia (prout decet) in pace tractentur, in huiusmodi electione interueniat semper Vicarius generalis, in Diœcesi autem Vicarius foraneus, vel parochus.

Antiqui verò officiales rationem reddant eorum administrationis Successoribus in officio, vel rationalibus à societate eligendis, præsente tamen eodem Vicario generali, vel foraneo, aut saltem parocho; vt omnes euitentur fraudes, & collusiones.

Conc. Trid. sess. 22 c. 9. de reformat.

Et qui computis calculatis, & reddita ratione remanserit debitor, infrà decem dies societati satisfaciat, alias à societate remotus intelligatur, & nihilominus debitoris contumacia Superiori significetur, vt pæna etiam carceris adhibita, ad satisfactionem cogatur.

Administratores qui fuerint negligentes in exactione frumenti, vel aliarum rerum à societate mutuatarum, in fine officij teneantur de proprio societati satisfacere.

De Blaſphemia.

Nihil eſt quod animum noſtrum magis exulceret, & confodiat, quam impia, & chriſtianis auribus intollerabilis diuini nominis blaſphemia, ideoq; ſicut non ſunt ferendi perditiſſimi & efferati illi homines, qui pro tantis ſibi à Deo collatis beneficijs, ac benedictionibus maledictiones referunt, ità maximè deploranda eſt infeliciſſima horum temporum conditio, in quibus blaſphemiæ impudentia, & impietas eo prolapsa eſt; vt paſſim etiam pueri Sacratiſſimum Dei, & Ieſu Chriſti nomen, quod eſt ſuper omne nomen, Sanctiſſimæ & Immaculatæ Genitricis, & aliorum Sanctorum impijs vocibus deteſtandis blaſphemijs & màledictis ſcindere, & lacerare non erubeſcunt, & in delicto omnium grauiſſimo gloriantur. Propterea non eſt mirandum, ſi à chriſtianis Populis

lis in tantis calamitatibus vndiq; constitutis, diuinæ iracundiæ flagella non remoueantur: cum iuxtà Sapientis dictum, à viri multum iurantis domo non discedet plaga.

Leo X. const. 11. de qua in bullar. pag. 194.

Cupientes igitur execrandum huiusmodi delictum, quantum cum Dei adiutorio possumus, extirpare decreta in Conc. Lateran. sub Leone 10 nec non Iulij 3. & Pij 5. summorum Pontificum constitutiones de pœnis Blasphemantium inuiolabiliter obseruari mandamus; dictarumq; constitutionum, & vltimæ Synodi Auximanæ vestigijs inhærentes, hæc statuimus.

Conc. Later. vlt. sess. 9. de refor. cur. ex const. Iulij iij & Pij V. contra blasphe. prima est impressa in bul. fol. 545. & 2, fol. 926.

Vt Blasphemantes Deum patrem omnipotentem, vel eius filium vnigenitum Dominum nostrum Iesum Christum, Spiritum sanctum, aut gloriosam Virginem Mariam, implicite vel explicitè attribuendo diuinæ Maiestati, quæ illi minime conueniunt, vel remouendo, quæ decent, Si fuerit Clericus fructibus vnius Anni om-

omnium, & quorumcumq; beneficiorum pro prima vice mulctetur; pro secunda omnibus beneficijs priuetur; pro tertia verò omnibus etiam dignitàtibus exutus, deponatur, & in exilium mittatur. Si vero Clericus nullum habuerit beneficium pro prima vice, pœna pecuniaria iuxta personæ qualitatem afficiatur; pro secunda in Carceribus detrudatur, ibiq; arbitrio Iudicis maceretur; pro tertia degradetur, & ad triremes transmittatur.

Cap. 2.

Laicus verò, qui nefarium, & execrabile blasphemiæ scelus commiserit, si fuerit nobilis, pro prima vice compellatur ad soluendum scuta quatraginta, in pios vsus applicanda; pro secunda pœna duplicetur; pro tertia triplicetur pœna pecuniaria, ac præterea infamia, & exilio mulctetur, sitq; ipso iure priuatus titulis, honoribus, & Magistratibus quibuscumq; inhabilisq; reddatur ad ferendum testimo- Iulij iij in præ alleg. constit. contra blasp.

mo-

monium, atque intestabilis, actiuè, & passiuè iuxta pontificias Sanctiones.

Si verò plebeius & pauper de huiusmodi delicto fuerit legitimè conuictus, soluat pro prima vice scuta decem, quæ si nequeat numerare, luat in corpore, manibusq; post tergum ligatis, per diem integrum antè fores maioris Ecclesiæ constituatur; pro secunda fustigetur; pro tertia verò lingua perforata ad infamem columnam alligetur, deinde ad triremes transmittatur.

Cap. 3.

Blasphemi in sanctos, vel Sanctas Dei seuere corrigantur arbitrio Dominorum Iudicum, habita ratione qualitatis, & grauitatis criminis, & personarum cum cæteris circumstantijs de iure attendendis, partesq; Iudicum erunt, declarare qui sint nobiles, & qui plebei, qui diuites, vel pauperes, possintq; pœnas superius constitutas aggrauare, si blasphemiæ grauitas, impietas

pietas

pietas, vel malitia id exposcat.

Cap.4.

Insuper ne sacrilega, & mortifera hæc pestis si lateat, minus curari possit, decernimus; vt quicumq; inposterum sciuerit, audiuerit aliquos blasphemasse, teneatur omnino infrà triduum nomen blasphemantis, & testium, qualitatemq; blasphemiæ Iudici Ecclesiastico, vel seculari denunciare, monendo omnes, & singulos: quod si constiterit aliquem scientem, noluisse denunciare, præter culpam, quam incurrit ob inobedientiam, & neglectum honorem Dei, ac diuinam vltionem, quam ei annunciamus; punietur eisdem pænis, quibus Blasphemi puniuntur. C. statuimus de maled. Iulij iij. in præalleg. const.

Si verò aliqui voluerint secretè denunciare, scribant in chirographo nomen Blasphemi, speciem, locum, & diem blasphemiæ, addantq; tres, vel saltem duos testes de blasphemia informatos, & per aliquam Ecclesiasticam personam, cui fidant,

chirographum ipsum Iudici transmittant, qui virtute huius secretæ denunciationis poßit inquirere, & Blasphemos punire. Domini verò Mercatores, aut Artifices, qui eorum famulos, aut Ministros blasphemantes audiuerint, semel monitos, si iterum in eodem genere peccauerint, domo eijciant, alias ipsi eiusdem criminis rei intelligantur.

Cap. 5.

Quia verò experientia ipsa compertum est, publicos ludos, quos barrattarias vulgus appellat, præter furta, multasq; alias iniquitates, quibus causam præbent, blasphemiam maxime enutrire, gignere, & euomere, præsenti decreto amouemus, damnamus, & prohibemus omnes huiusmodi barattarias, tanquam seminaria vitiorum, & impietatum, pæna excommunicationis proposita illas detinentibus, & exercentibus: Magistratus verò, & omnes Iudices per Dei gloriam obsecramus, vt

sicut

sicut læsæ Maiestatis humanæ reos seuerissime puniunt, sic etiam crimen læsæ Maiestatis diuinæ impunitum non relinquant, omniaq; superius statuta diligenter seruari curent, vberrimam piæ curæ mercedem expectantes; præter decem Annorum Indulgentiam, quam Leo. x. in eodem Conc. lateran. elargitus est.

De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur.

Cap. 1.

CVm in beneficijs Ecclesiasticis obtinendis, non solum simoniaca labes, sed quæuis etiam minima suspitio fugienda sit, & proinde iure optimo sancitum fuerit eos, qui simoniacè beneficia consequuntur, nullum ius in eis acquirere, & ad eadem, vel alia quæcunq; obtinen-

Leo X. in sua const. de qua in bulla. pag. 194. Conc. Trid. sess. 24 c. 14. Pius V

in sua consti. ędita. 1. Aprilis 1566 quæ incipit. Cum primū. de qua in bulla. pag. 924. ver. & vt simoniacæ prauitatis.

da inhabiles perpetuò reddi, excommunicationi subiacere, & fructuum perceptorum restitutioni esse obnoxios, cupimus vehementer letali simoniacæ prauitatis veneno salutari antidoto occurrere, præsertim cum in his temporibus ob nimiam hominum cupiditatem, effrenatamq; ambitionem, plurimas animas occidat, & Diabolo lucrifaciat.

C. Ex tua insinuatione extra de sim.

Statuimus igitur, & declaramus eos omnes simoniacos esse censendos, qui ad acquirendum sibi, vel alteri personæ, tam cognatæ, quam extraneæ beneficium Ecclesiasticum, quocumq; titulo nuncupatum per se, vel per alium dederint, promiserint, vel remiserint patrono, aut Collatori, eiusdem beneficij, vel alteri eorum prætextu, & ex eadem causa pecuniam, vel aliam quamcumq; rem cuiuslibet generis. Quos omnes tam donantes, quam promittentes, accipientes, & mediatores tanquam simoniacos excommunicationis senten-

tentiam incurrisse declaramus, à qua non possint, excepto mortis articulo, ab alio, quam à Romano Pontifice absolui, ac nisi Beneficiatus, qui simoniacè Beneficium obtinuit, illud prius dimittat, fructusq; omnes, ac prouentus indebitè perceptos, integrè restituat, dictiq; patroni, & Collatores res, & bona eadem de causa, accepta, similiter restituant. C. Quicumq; & c. Qui studet. 1. q. 1. c. simoniaca, de simon.

Quorum fructuum, prouentuum, emolumentorum, & rerum datarum restitutionem nolumus dictos contrahentes sibi inuicem facere; cum de iure non possint, sed illi beneficio, vel Ecclesiæ, cui iniuria facta est, applicari, & in eius vtilitatem conuerti.

Præcipientes Curatis, & Confessarijs nè dictos pœnitentes absoluant, donec sibi constiterit eos integrè, realiter & cum effectu restituisse.

Cap. 2.

Censemus etiam easdem simoniacæ prauitatis

uitatis pœnas incurrisse eos, qui licet pro beneficio consequendo per se, vel per alium aliquid non dederint, vel promiserint, passi sunt tamen, quod parentes fratres, Cognati, seu alij pro eis, & ipsis scientibus, & non contradicentibus dederint, vel promiserint prænominatis patronis & collatoribus, aut alteri eorum respectu, nec non eos, qui dicta contemplatione pecuniam, frumentum, vel res alias dictis patronis vel collatoribus, aut alteri eorum intuitu commodauerint, vel mutuo dederint.

Insuper eos, quos liqueret post dictorum beneficiorum ~~ad~~ adeptionem dimisisse, vel renunciasse ipsis patronis, vel Collatoribus eorum intuitu, annuas pensiones, census, canones, decimas, vel alias res quascumq; beneficijs collatis, debitas, vel etiam eisdem patronis, & Collatoribus gratis dimisisse, vel pro minori precio, quam solerent, locasse Domos, vineas, prædia, & alia quæcumq; bona, tam dictorum beneficiorum, quam

etiam

etiam ipsorum Clericorum, quibus beneficia sunt collata, vel Consanguineorum, & amicorum.

Eisdem etiam pœnis ligari volumus, qui scienter inter eos, qui simoniacam contrahunt pactionem, intercedunt, aut in eorum gratiam, & fauorem sua beneficia, aut alias quascumq; res obligant, & tandem non solum simoniæ principales auctores, verum etiam internuntios, interpretes, Mediatores, ac Notarios, qui simoniaca instrumenta hactenus confecerint, vel conficient in futurum.

Cap. 3.

Et quamuis beneficiorum appellatione annuæ pensiones non comprehendantur, nihilominus, simoniacam prauitatem etiam sapere iudicamus; si pro consequendis pensionibus, aliquid ex supradictis fiat.

Cap. 4.

Nemo in posterum à patronis præsentatus, nominatus, vel quomodolibet ab Inferio

ferioribus prouisus admittatur, vel instituatur; nisi is in manibus nostris, vel Vicarij nostri generalis iusiurandum ad infrascriptam rationem prius emiserit.

Ego .N. presentatus à .N. ad beneficium Sancti .N. iuro per hæc Sancta Dei Euangelia, quæ manibus meis tango, quod pro obtinendo præfato beneficio, vel vt ad illud præsentarer, vel nominarer, neq; patrono, neq; alij directe, vel indirecte aliquid dedi, promisi, vel remisi, neq; de redditibus & prouentibus eiusdem beneficij aliquid cum eo transegi, vel remitti curaui, neq; de aliqua locatione bonorum ad præfatum beneficium spectantium quicquam pollicitus sum, nec aliquod seruitium personale ipsi patrono, vel alij exhibere, aut beneficium ad nutum patronorum vel alterius personæ resignare promisi, nec in præmissis, aut quolibet præmissorum quisquam meo mandato consensu, vel ratihabitione, tale quid promisit, aut fecit: sic

C. Sunt non nulli. 1. q. 1.

me Deus

me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Cap. 5.

Sæpè contingit lites inter aliquos moueri super titulo alicuius beneficij, & tandem litigatoribus defeßis, alterouè eorum fatigato ad concordiam deuenire, & nonnunquam ad uexationes redimēdas, pecuniam dari, vel offerri, quæ pactiones cum plerumq́ à iuris ignaris fiant, simoniacam sapiunt prauitatem. Statuimus igitur, & in futurum prohibemus, ne transactiones super litibus beneficialibus nobis inconsultis fiant; quod si absq́ licentia, approbatione nostra vel nostri Vicarij generalis, dictas concordias fieri contigerit, illas ex nunc irritas, ac nullas declaramus, ac præterea contrahentibus, pænam decem scutorum pro quolibet imponimus. C. quæsitum de rer perm.

De vsuris, & contractibus feneratitiis.

Cap. I.

C. Quia in omnibus extra de vsur. *VSurarum vorago animas fidelium deuorat, & facultates, & contra [illegible] vsurarios Dominus per Propheta[illegible]nat, illius verba terrore sunt plena: dicit enim, Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt & vestimenta vestra à tineis commesta, aurum, & argentum vestrum eruginauit, & erugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis, thesaurizastis enim vobis iram in nouissimis diebus: Nos igitur cupientes quantum, Deo adiutore, possumus, vsurarios à via sua mala auertere, hac nostra constitutione decernimus, & declaramus eos omnes* C. Vsura, & c. pleriq; 14. q. 3. *vsurariæ prauitatis reos esse, quos constiterit aliquam dedisse pecuniæ quantitatem, vel*

vel aliam quamcumq; rem cum pacto tacito, vel expresso, vt aliquid vltra sortem mutuatam eiusdem, vel alterius speciei, eidem mutuanti restituantur, vel donetur, dummodo huiusmodi augumentum sit pecunia æstimabile.

Cap. 2.

Ementes frumentum, vinum, Oleum, aut alias merces minori precio quam vendi possent, vel soluerent, ob anticipatam solutionem, & è conuerso vendentes merces prædictas plus iusto precio, ob dilatam solutionem vsuram committunt.

C. in Ciuitate, & c. Nauiganti, extrà de vsur. & c. consuluit eodem tit.

Cap. 3.

Et quia nemo debet in negotio circumuenire fratrem suum, declaramus etiam illos qui vendunt rem aliquam precio maximo, & excessiuo alicui in necessitate constituto, vel alteri, pœnis contra vsurarios impositis obnoxios esse, præsertim si eamdem rem venditam incontinenti, vel paulo post minori precio per se, vel per interpositam perso-

nam recuperant, ad vsuram palliandam, & humanos Iudices fallendum, licet æternum Iudicem, qui videt in abscondito, fallere minime poßint.

Cap. 4

Venditio, vel pignoratio alicuius rei cum pacto retrouendendi, aut redimendi infra certum tempus, aliàs sit libera emptoris, si fiat minoris iusto precio, etiam quod læsio sit infra dimidiam, pactum huiusmodi nullum sit, ac irritum, & poßit venditor, etiam elapso termino rem suam redimere: repugnat enim Christianæ charitati, vt quis locupletetur cum aliena iactura.

Cap. 5.

Mutuantes alicui pecuniam recepta pro sua cautela aliqua domo, fundo, alia re de sui natura frugifera, si tempore restitutionis pecuniæ renuunt fructus ex re pignorata perceptos, in sortem computare vsurarios declaramus.

Vinum

Cap. 6.

Vinum, oleum, frumentum, aliaue huiusmodi, quæ in genere ſuo functionem recipiunt, ſi corrupta mutuentur, vt tantumdem bonum reſtituatur, contractus eſt vſurarius, quamuis reſtitutio differatur in tempus debitori magis commodum.

Cap. 7.

In ſocietatibus animalium, quæ in noſtra Ciuitate, & Diæceſi frequenter fieri ſolent, non apponatur pactum, vt capitale ſit ſemper ſaluum, etiam ex primis fatibus; fructus verò communiter diuidantur, nec aliquid certum ex fructibus animalium quot annis ſoluatur, & deniq; non apponantur aliæ vſurariæ conuentiones, quas ſanctiſſimus, & vere pius ac Apoſtolicus Pontifex Siſtus V. (cuius memoria in benedictione ſit) ſua ſaluberrima Conſtitutione prohibuit; tenor autem dictæ Conſtitutionis eſt infràſcriptus.

Dam-

Damnatio, & reprobatio pactionum in Societatibus apponendarum capitalis securitatem, aut lucri nomine certam responsionem, aut vsurariam prauitatem quouis modo continentium.

SIxtus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Detestabilis auaritiæ ingluuies, & insatiabilis lucrandi cupiditas malorum omnium radix vsq; adeò excæcat mortalium mentes, vt multi nimis auidè lucro inhiantes, in laqueos & insidias Diaboli miserè incidant: irrepit enim versutè, & callide antiquus humani generis hostis per varios dolos, & fallacias, & incautos homines quæstus dulcedine captos ac delinitos opprimit atq; eo perducit, vt seipsos in vsurarum voraginem Deo hominibusq; odiosam, sacris Canonibus damnatam, & christianæ charitati contrariam fœde immergant; & dum vanas & terrenas diuitias quærunt, ve-

veras, ac cælestes amittant, sicuti nuper cum magno dolore audiuimus hoc malum in quasdam prouincias peruasisse. Nam multi speciosum, & honestum Societatis nomen suis fæneratitijs contractibus prætexendo, hoc quasi colore, & fuco mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & alijs personis, super eorum mercibus, officinis, tabernis, pannarijs, alijsq; rebus ac bonis pecunias suas, aut alias res, societatis nomine conferunt, vel greges armenta, aut certa animalia Agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, alijsq; rusticis, seu quibusuis personis dant in societatem, siuè ad soccidem (vt vocant) ea conditione, vt sors ipsa, seu caput, quod vulgo dicitur capitale, tam pecuniarum, quam animalium, & rerum, saluum semper, & integrum existat, pro eo, qui non industriam aut operas, sed pecunias, animalia, aut res huiusmodi in societatem confert, vtq; omne periculum, & damnum ab altero

socio

socio recipiente substineatur, contrà æquitatem, & societatis iustitiam diuersimodè paciscuntur; eosdemq; socios cum quibus contrahunt, plerumq; pauperes, & egenos, suoq; labore, & industria victitantes ad sortem seù capitale restituendum; quicumq; tandem casus, & rerum euentus consequatur, pacto & obligatione obstringunt: simulq; etiam certam lucri quantitatem, & summam veluti tot pro quolibet centenario in singulos annos, aut menses, per alterum socium, durante societate, soluendam præfiniunt, ac præscribunt, eamq; summam & quantitatem non subductis rationibus accepti, & expensi, quod in codices seù tabulas societatis referri solet, neq; facto calculo vel computo pro ipsius lucri vel damni modo variabilem, sed laborem, & curam computandi, & calculandi se inuicem remittere, & renuntiare asserentes, quouis tempore certam constituant. Proinde nos, qui hoc potissi-

mum

mum munus nostraq́; pastoralis solicitudinis maxime proprium arbitramur, vt gregem Dominicum fidei nostræ creditum ab omni offensione, & æternæ vitæ discrimine tutum, in viam salutis, cælesti gratia adiutrice, dirigere nitamur: huiusmodi morbi contagionem, antèquam in communem fidelium perniciem latius serpat, quantum, Deo fauente, possumus tollere cupientes, de attributa nobis apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscumq́; contractus, conuentiones, & pactiones post hac ineundos, seu ineundas, per quos seù quas cauebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, vt etiam si fortuitu, casu quam libet iacturam, damnum, aut amißionem sequi contingat, sors ipsa seù capitale semper saluum sit, & integrum à socio recipiente restituatur, siuè vt de certa quan-

titate, vel summa in singulos annos aut menses, durante societate, respondeatur: statuimusq́; huiusmodi contractus, conuentiones, & pactiones vsurarios, & illicitos post hac censeri debere, atq; in posterum non licere ijs, qui pecunias, vel animalia, aut alias res, in societatem tradent, de certo lucro, vt præfertur, percipiendo inter se pacisci, & concordare: neq; etiam siuè ad certum, siue ad in certum lucrum conuenerint, socios, qui ea recipient, ad sortem seù capitale saluum, & integrum, vbi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quouis pacto aut promissione sibi obligare: Ac ne de cætero societates ineantur, sub huiusmodi pactis, & conditionibus, quæ vsurariam prauitatem sapiunt, districte interdicimus & prohibemus; Sed potius cuncti nouerint societates huiusmodi cum in posterum vnus pecuniam, Animalia, aut alias res, & bona, alter verò operam vel in dustriam

confert, purè ſincerè, & bona fide ſicut decet, iuſtis, & æquis conditionibus, & pactis, ſecundum iuris diſpoſitionem, ac ſine vlla prorſus fraude palliatione, aut vſuraria prauitatis labe, aut ſuſpicione ineundas, ſeu contrahendas eſſe, ita vt non ad certam ſummam, & quantitatem ab omni periculo, & damno, vt profertur, immunem, lucri nomine perſoluendam, neq; ad capitale, ſi caſu fortuito perit, reſtituendum, ſocius accipiens teneatur. Si verò finita ſocietate, ipſum capitale extat, ei qui illud in ſocietatem contulerit, reſtituatur, niſi ſocio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipſos contrahentes ſuper eò legitimè conuentum ſit. Ac præterea ijdem contrahentes fructus, expenſas, & damna in commune conferant, & prout æquum, & iuſtum fuerit, ſibi communicent, atq; diuidant. Decernentes, ſi qui contractus conuentiones, & pactiones in futurum contrà noſtram huiuſmodi prohibitionem de facto

initi fuerint, nullam ex eis, tanquam per hanc eandem cõstitutionem nostram damnatis, & reprobatis etiam si iuramento, aut in forma Cameræ Apostolicæ, vel alias quomodolibet roborati fuerint, obligationem ciuilem, aut naturalem oriri, nullamq́ actionem realem, aut personalem, nec Iudicis officium, neq́ aliud quodcumq́ ius cuiquam competere, neq́ quoad sortem, seu capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neq́ quoad certas summas, & quantitates in singulos annos, aut menses lucri socialis nomine promissas. Si qui vero in posterum sub prædictis conditionibus, & pactis contrahere temere præsumpserint, aut prætextu similium contractuum, conuentionum, & pactionum, societatis nomine initorum, qui hucusq; durant, ad exactionem dictæ sortis, seu capitalis, siuè illius precij, & valoris, postquam illud in toto, vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, aut certa summa,

ma, vel quantitatis annua, aut menstrua sibi promissa in futurum procedere ausi fuerint, eos vniuersos, & singulos in pœnas contra manifestos vsurarios, & fœneratores, à Sacris Canonibus, & Concilijs generalibus latas, & promulgatas, eo ipso incurrere, & contrà illos, vti manifestos vsurarios, & fœneratores, via Iuris, alijsq; opportunis remedijs procedi posse, & debere: sicq; ab omnibus censeri, & ità quoad pramissa vniuersa, & singula per quoscūq; Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici, Auditores, ac S. R. E. Cardinales (sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) vbiq; iudicari, declarari, & definiri debere; nec non irritum, & inane, si secus super his per quoscumq; quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari; Mandamus verò vniuersis, & singulis locorū ordinarijs per qua-

quascunq; Prouincias, & Regna Christiani Orbis constitutis, & quibusuis nostris & Sedis Apostolicæ, etiam de Latere Legatis, ac Vicelegatis, cæterisq; officialibus, præsertim Prouinciarum, & locorum status, nostri Ecclesiastici, vt in suis quisq; Ciuitatibus, Diœcesibus, Prouincijs, & locis præsentem nostram Constitutionem publicari, & inuiolatè obseruari curent: Et contrà personas, quæ in futurum præter, & contrà prohibitionem hanc nostram pacisci, aut exigere ausæ fuerint, tanquam publicos vsurarios, & fœneratores per viam accusationis, vel denunciationis, aut inquisitionis, & ex mero officio, prout eis videbitur, procedant; reosq; culpabiles repertos condignis pœnis, vt supra dispositum est, afficiant, inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus quarumcumq; Ciuitatum, Prouinciarum, & locorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate, roboratis statutis,

&

& consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apostolicis, quorumcumq; tenorum existant, siuè per modum Constitutionis, & legis perpetuæ quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innouatis, quæ omnia nolumus cuiquam de cætero suffragari. Vt autem præsentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, neuè aliquis earum ignorantiam prætendere valeat, volumus vt illæ in Valuis Basilicarum Principis Apostolorum de Vrbe, & Sancti Ioannis Lateran. & Cancellariæ Apostolicæ, atq; in Acie Campi Floræ per aliquem ex nostris Cursoribus de more publicentur, dimissis, & affixis earum exemplis in Acie & valuis prædictis, earumq; transumptis, etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrà illud, vbiq; gentium, & locorum habeatur, quæ eisdem originalibus haberetur, si essent exhibitæ, vel osten-

ostensa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, reprobationis, statuti, interdicti, prohibitionis, decreti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo, Octuagesimo Sexto duodecimo Cal. Nouembris. Pontificatus Nostri anno secundo.

De publicis meretricibus, Cō cubinis, & Cōcubinariis.

Cap. 1.

R*Ationi congruit, & honestati, vt miserabiles illæ mulieres, quæ venalem habent pudicitiam, & ex suo*

corpore

corpore turpem quaestum faciunt, in locis ab hominum frequentia remotis habitent, nec inter honestas mulieres misceantur. mandamus itaq; vt Meretrices in nostra Ciuitate, & Diaecesi existentes, in honestis viciniis domos non conducant, praecipuè verò distent earum habitationes saltem per decem cannas ab Ecclesiis, & Monasteriis Virorum, & mulierum, cum enim propè meretricum domos die noctuq; profani cantus, & obscaena verba èxaudiantur, aliiq; tumultus fiant, indecens est; vt religiosi viri, aut sacrae Virgines, quae se in Monasteria, tanquam Ciuitates refugii abdiderunt, huiusmodi profanis actionibus offendantur, & diuina officia perturbentur.

Meretrices verò, quae in hoc deliquerint, poenam fustigationis incurrent.

Cap. 2.

Publicae meretrices in domibus Clericorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, &

locorum piorum habitare non poßint, quamuis ab eis longè, lateq; distent, nec dictis meretricibus præfatæ domus locentur, sub quouis prætextu, pœna locatoribus, si nostræ Iurisdictionis fuerint, proposita arbitrio nostro. Meretrices, quæ Domus Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorum conducere præsumpserint, pœna fustigationis, & exilij plectentur.

Cap. 3.

Non liceat Meretricibus, etiam Aduenis in meritorijs, Tabernis, vel publicis cauponis, pernoctare, vel commorari, nisi itineris causa, & tunc per vnum tantum diem.

Cap. 4.

Nic V. constit. 3. de qua in bul. fol. 71 Conc. Later. sub Leone X sess. 9. de refor. cur. ver. Cōcubinarij. Conc. Trid.

Ad extirpandam incontinentiæ maculam, quæ inter cætera vitia diuinam prouocat Maiestatem, & Ecclesiastici status dignitatem deturpat, & contemptibilem reddit, plura sunt à sacris Canonibus, & nouißimè à sacro Conc. Trid. piè, ac prudenter

denter

denter decreta. Nos igitur cupientes, vt in nostro Clero, & populo (omni libidinis fæditate depulsa) puritas fulgeat pulcherrima honestatis, Mandamus, vt contrà Concubinarios tam solutos, quam vxoratos, trina monitione præmissa, seuerè procedatur, iuxta dicti Concilij dispositionem. sess. 24. c. 8. de reformat. & sess. 25. c. 14. de refor.
Mulieres veró siuè Matrimonio copulatæ, siuè solutæ sint, quæ cum Adulteris, aut Concubinarijs publice viuunt, si ter monitæ non paruerint, grauiter puniantur, & si opus fuerit pæna exilij extrà Ciuitatem, & Diæcesim afficiantur.

Cap. 5.

Parochi, tam Vrbani, quam Diæcesani, post quam Concubinarios legitime monuerint, & Concubinas non eiecerint, vel ab earum publica conuersatione destiterint, nobis denuncient; vt etiam per excommunicationis, sententiam, si opus fuerit ad id compellantur, & si interim in publico concubinatu decesserint, tam concubi-

narij, quam Concubinæ (cum post carnem abeuntes, brutorum more vixerint) brutorum etiam, & Asinorum sepultura sepeliantur.

Cap. 6.

Conc. Trid. sess. 25. c. 14

Contrà Clericos verò, & alias Ecclesiasticas personas, quæ propriæ dignitatis oblitæ in impudicitiæ sordibus, & turpi concubinatu versari non erubescunt, etiam èx officio seuerius procedatur, iuxtà eiusdem Concilij dispositionem, cum in eis maior requiratur munditia, & ex illorum incontinentia, maius etiam scandalum oriatur.

De cohabitatione Clericorum & mulierum.

C. 2. cũ seq. de cohab. cleric. & mulic.

VT ad eam, quam decet continentiam, & vitæ integritatem à crimine, & à criminis suspitione penitus immu-

immunem ministri Ecclesiæ reuocentur, Populusq; hinc magis discat eos reuereri, quo illos honestiores cognouerit; cupimus vehementer, & omnes Ecclesiasticos viros hortamur, vt à mulierum, etiam consanguinearum cohabitatione penitus abstineãt, quotidiana enim docemur experientia, valde periculosam esse, ex eaq; nefandissimos incestus, & innumera scandala prouenire. Considerentq; Clerici, se neq; Dauide Sanctiores, neq; sapientiores Salomone, neq; demum Samsone fortiores, quos omnes, fœminæ præuaricare fecerunt, idcirco nunquam, vel raro mulieres conueniant, aut illarum domos pedibus terant, nec vnquam obliuiscantur memorabile exemplum Diui Augustini, qui sororis, & fratrum filiæ contubernium, familiaritatemq; vitabat: quippe qui dicere solebat, & si propinquæ mulieres suspectæ non essent, tamen quæ ad eas ventitarent, posse suspicionem efficere.

Præcipimus verò, & mandamus omnibus Diœcesis nostræ Clericis in sacris ordinibus constitutis, vel beneficiatis, vt in suis domibus, & seruitio mulieres ætatis suspectæ non habeant præter Auiam, Matrem, Sororem, Amitam, Materteram, vel alias non suspectas personas, & Consanguineas, vsq; in secundum gradum.

Mandamus insuper, vt Clerici partem Domus, quam ipsi inhabitant mulieribus etiam bonæ famæ locare non possint.

De filiis presbyterorum.

Conc. Trid. sess. 25. c. 15 de refor. c. Proposuisti. 12. dist. c. 2. & per totum de fil. presbyt.

CVm iuxtà sacri Conc. Trid. decretum à locis Deo dicatis paternæ incontinentiæ memoria sit penitus remouenda, valdèq; indecorum sit, & scandalosum vt meretricis filius impudico patri in tremendo Altaris sacrificio ministret. Statuimus (sacrorum Canonum vestigijs inhærẽtes, vt huiusmodi illegitimi) nec

nec patri, nec cuiquam alio Sacerdoti in Ecclesia, in qua pater est Canonicus, vel Beneficiatus in Altari ministrare permittantur, nec etiam eosdem filios, aut filias damnatæ luxuriæ testes audeant parentes in eorum Domibus alere, vel retinere, sub pæna scutorum decem.

De foro Episcopali illorumq; Offitialibus.

Cap. 1.

INter desiderabilia cordis nostri, id cupimus vehementer, & à Deo humiliter petimus, vt in nostro Ecclesiastico foro optimos Iudices, & Ministros constituamus, & ab eo non solum omnis auaritiæ labes remoueatur, verum etiam maxima eluceat charitas.

Cap.

Cap. 2.

Mandamus igitur omnibus officialibus noſtris, tam Vrbanis quam Diæceſanis, vt ſcientiam, & conſcientiam habere ſtudeant, ne eadem iudicent, quæ ipſi agunt, & iuxtà horribilem Diui Pauli ſententiam, D. Paul. in Epiſt. ad Ro. cap. 2. *alios iudicando ſe ipſos condemnent, & theſaurizent ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti Iudicij Dei.*

Cap. 3.

Taxam mercedum à nobis nuper reformatam ſeruent ad vnguem, nec munera cuiusuis generis, etiam eſculenta, & poculenta, ab illis accipiant, qui coram ipſis cauſas habeant.

Vap. 4.

C. 1. de fer. *Feriæ omnes, ſiuè in honorem Dei, ſiuè ad hominum commoditatem inductæ, diligenter cuſtodiantur, & in illis iudiciales ſtrepitus conquieſcant, præter quam in caſibus de iure permiſſis, fiatq; tabella omnium dierum, in quibus non redditur ius,*

& in

& in nostra Cancellaria Episcopali appensa retineatur.

Cap. 5.

Vicarius noster generalis sit semper sacerdos, vel saltem Clericus alienæ Diœcesis, cum enim Cognatorum, & Affinium innata uis Iudicum oculos quasi tenebræ offundat; maxime decet Vicarium generalem; in quo totius Ciuitatis, & Diœcesis cura residet, non esse Ciuem vel Diœcesanum; idq; eo magis est curandum, cum experientia quotidiana nos doceat, quod gratia vel metus eorum, cum quibus homines vixerunt, & deinceps sunt victuri, etiam optimos, & constantes viros à recto iustitiæ tramite deflectere cogat.

C. in noua. 16. q. 7 c. de cēter dist. 89 Panorm. in c. ij. de Cleric. coniug.

Curet Vicarius litium anfractus tollere, & celeri causarum expeditioni maximè studeat, ità tamen vt non sit iustitia præcipitata, qui enim citò iudicat, ad pœnitendum properat, sed in omnibus adhibeat debitam maturitatem; curetq; præcipue par-

tes ad concordiam reducere, cautè tamen, & prudenter, vt nulli præbeat ſuſpitionis cauſam.

Omnes benignè, & patienter audiat, & cum Aduocatis, & Procuratoribus, ea, qua decet, modeſtia vtatur, nec aliquem ſuperbè repellat, aut verbis iniurioſis afficiat, cum indignum profectò ſit, vt exeant iniuriæ, vnde iura exire debent.

Proponat ſibi Vicarius potius ſubditorum emendationem, quam punitionem; & in delictis coercendis coniungat Iudicium cum miſericordia, & lenitatem ſeueritate temperet; ità vt ſubditi nimia aſperitate non exulcerentur, nec nimia benignitate ſoluantur, memorq; ſit in omnibus ſententiæ Diui Gregorij. quod iuſtitia ſinè miſericordia crudelitas eſt, miſericordia ſinè iuſtitia fatuitas eſt.

C. diſciplina. Diſt. 45.

C. non crudelis 23. q. 5. D. Auguſtin. ad Macedonianũ Epiſt. 64.

Caueatq; in primis ne occulta Clericorum delicta, cum offenſione publicet.

Conſeruationem bonorum Eccleſiaſticorum

corum, legatorum piorum executionem, & miserabilium personarum defensionem, Vicario nostro præcipuè commendamus.

Cap. 6.

Procurator fisci nostri Episcopalis sit omninò Clericus, nec mero laico munus huiusmodi committatur, illud verò sciat, se ad inquirendam criminum veritatem esse constitutum, & propterea caueat ne officio suo vnquam abutatur ad Innocentium oppreßionem, vel indebitam vexationem.

Eiusq́; partes erunt vna cum Vicario inuigilare, ne Capitaneus siuè Baroncellus Curiæ nostræ, aliiq́; satellites aliquid etiam minimum extorqueant, sed suis mercedibus contenti viuant.

Cap. 7.

Vix exprimi potest, quam sit perniciosa Notariorum imperitia, cum rapacitate coniuncta, & quam multis litibus, & scandalis causam præbeat; maximè igitur

est inuigilandum, vt Cancellariæ Episcopalis cura viro idoneo committatur.

Mandamus itaq; vt Cancellarius Episcopalis in posterum eligendus, sit omnino maior 25 annis, & saltem per quatriennium in Tabellionatus officio fuerit versatus.

Non prius ad officium admittatur, quam coram nobis, vel nostro Vicario generali infrascriptum præstiterit iuramentũ. Ego N. Notarius Episcopalis electus commissum mihi munus fideliter exercebo.

A litigatoribus, vel quocumq; alio ex quacumq; causa nihil recipiam etiam sponte datum, præter id, quod Episcopi taxa est præfinitum.

Non ero promotor, vel procurator in causis quæ agentur coram Episcopo, vel eius officialibus.

Secreta officij, & causarum nemini patefaciam, præsertim attestationes testium, & sententias, donec per Iudices publicatæ,

&

& ſubſcripta non fuerint.

Litigatoribus, ſiuè eorum procuratoribus Actorum copiam per Iudicem decretam dabo, abſq; aliqua recuſatione, & fraude.

Inſtrumenta, aliaſq; ſcripturas, & iura in cauſis producta diligenter, & ordinatè conſeruabo.

In litteris, dimiſſorijs, & teſtimonialibus, ſacri Concilij Trid. decreta ſeruabo.

Mandatis Epiſcopi, & ſuorum officialium obtemperabo, & à Ciuitate animo pernoctandi non diſcedam, abſq; eorum licentia.

Omnia, & ſingula ſupraſcripta ſine fraude, & dolo aliquo inuiolatè præſtabo; ità promitto, ſpondeo, & iuro, ſic me Deus adiuuèt, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Sciant verò Notarij, quod ſi ipſi tam in ciuilibus, quam in criminalibus dicta

teſtium,

testium, vel reorum responsiones partibus patefecerint, absq; Iudicis decreto, non solum tanquam falsarij, periurij, & infames erunt puniendi, sed ētiam grauiores pœnas incurrent, ex Constitutione Pij Quinti.

Pius V. in sua Constit. quæ habetur in bullar. pag. 1022.

Cap. 8.

Vt autem Notarijs curiæ nostræ nulla penitus relinquatur occasio iustitiæ ordinē peruertendi, & subditos nostros indebitis solutionibus grauandi: hac præsenti Constitutione decernimus, vt emolumenta Cancellariæ Episcopalis non poßint inposterum vendi, aut locari, & eorum nomine quicquam persolui, nihilq; penitus priuatæ vtilitatis ad nos, vel Mensam nostram Episcopalem, aut Vicarium, aliosuè familiares nostros perueniat; sed emolumenta omnia pertineant pleno iure ad Cancellarium, cæterosq; eiusdem Cancellariæ ministros.

Qui verò aliquid dederint, promiserint,

vel

vel acceperint, occasione prædicta, vel pro assecutione, aut confirmatione aliorum officiorum, tam dantes, quam recipientes, pœnas contentas in duabus constitutionibus Pij Quinti contra ambientes officia, eaq; pretio siue promissione procurantibus, aut assequentibus, vel assecuta manutenentibus nouerint, incurrisse.

Pius v. in cõstit. de qua in bull. pagin. 1151. & iterum plenius in alia const. pag. 1157.

Cap. 9.

Et vt nihil omittamus ex ijs, quæ ad subditorum nostrorum commodum pertinent, mandamus; vt in oppidis insignioribus nostræ Diœcesis Vicarij foranei constituantur, cum facultatibus, iurisdictionibus, & instructionibus à nobis in eorum deputatione præscribendis.

Vicariorum foraneorum præcipuum munus erit de vita, & moribus Sacerdotum & Clericorum intrà suæ Vicariæ fines existentium diligenter inquirere, & nobis referre, & de statu sui Cleri, & Populi nos frequenter commonere, deq; omnibus de-

lictis

lictis nos per litteras certiores reddere.

Colligere à Parochis sibi subditis ea omnia, quæ in Synodo Diæcesana tractanda erunt, & nobis tradere.

Caueant autem Vicarij foranei ne delicta occultent, quominus ad nostram, vel nostri Vicarij generalis notitiam deueniant.

Munuscula, etiam minima, ab aliquo non accipiant, nec ratione eorum officij quicquam exigant, sub pœna priuationis, & alijs arbitrio nostro imponendis.

Cap. 10.

Nulli prorsus etiam Vicario foraneo, Fisco, Procuratori, Cancellario, & eius substituto, vel alio in famulatu nostro viuenti liceat causarum, quæ in Episcopali foro aguntur, procurationem, aut patrocinium suscipere.

Nec etiam familiares nostri causas in eodem foro vertentes Iudicibus commendent, & auctoritatem suam in hoc interponant.

De Sententia Excommunicationis,

Cap. 1.

IN ea incidimus tempora (peccatis nostris ità exigentibus) vt quamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ; nihilominus potius contemnatur, quam formidetur, nec sit, prout esse deberet, medicinalis, sed mortalis; non disciplinans, sed eradicans: igitur sobriè est exercendus, ne ob frequentiam magis vilescat.

C. prim. & c. Dilecto de sent. excom. in 6. c corripiantur 24 q 3. Côc. Trid. sess. 25. c. 3. de refor.

Memores autem sint officiales nostri, quod in primitiua Ecclesia ob quatuor tantum grauissimas causas excommunicatio ferebatur.

In primis propter hæresim, iuxtà illud, si quis aliud euãgelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit; & propter ea

crimina quæ hæresi sunt annexa, vel hæresim sapiunt, sicut blasphemia, propter quam D. Paulus Hymeneum, & Philetũ tradidit Sathanæ. secundo propter aliquod enorme, & publicum peccatum citra hæresim, quale fuit illud, de quo idem Paulus conqueritur apud Corinthios dicens, Tradidi eum Sathanæ In interitum carnis, vt spiritus eius saluus fiat. Tertio propter conuersationem inquietam, & publicè scandalosam, iuxtà Apostolicam sententiam si quis nominatur inter vos fornicator, aut auarus, aut Idolis seruiens, cum huiusmodi nec cibum sumere. Quarto propter contumaciam, quæ est consumatio omnis peccati; vnde Apostolus, si quis non obedit verbo meo, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt Confundatur.

Pri. ad Thi.

Prima ad Corint. c. 5.

Abb. in c. 1. n. 10. de Iud. & in c. sane quia n. 5. de off. de leg. & in c. 2. vt lit. non contest.

Igitur officiales Curiæ nostræ, veterum patrum exempla sectantes, parcissimi sint in ex communicationibus, aliisq; censuris

Ecclesi

Ecclesiasticis promulgandis, ne positi in ædificationem, destructionem operentur, & non salutis, sed perditionis causa existant; curentq́ potius subditos benedictionibus augere, quam maledictionibus premere.

Cap. 2.

Monitoria, siuè excommunicationum litteræ, quæ pro rebus subtractis, vel de perditis fieri solent, non concedantur, nisi seruata forma sacri Conc. Trid. pro re grauì, & diligenter prius negocio examinato. Huiusmodi verò excommunicationum litteræ pro rebus infrascriptis nullatenus concedantur. Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de refor.

Pro re criminosa, vel quæ infamiam irroget, vel ex cuius detectione posset aliquis corporaliter puniri.

Pro re non occulta omnino, & quæ alijs legitimis modis probari possit, cum enim modus iste probandi per reuelationes, quæ fiunt comminata ex communi-

cationis pœna, sit remedium extraordinarium, cessare debet, quando adest ordinarium.

Pro re, quæ iamdiu amissa sit, vel subtracta, ità vt illius memoriam amplius non haberi sit verisimile.

Cum veró re, loco, & personis consideratis huiusmodi monitoriales litteræ erũt concedendæ in solemnioribus festiuitatibus Natiuitatis Domini, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi, alijsq; solemnioribus diebus non promulgentur, nec litteræ prædictæ concedantur excommunicatis, & manifeste criminosis.

De Visitatione.

Cap. 1.

N*Ecessarium profectò, & inter omnia Episcopalia onera vtilissimum visitandi munus, curabimus singulis*

gulis annis personaliter exercere cum. ad hoc Concilij Trid. dispositio nos arctet, & Beatorum Apostolorum exempla prouocent, qui Ecclesias ab eis fundatas sæpe visitare soliti erant.

Cap.2.

Si verò aliquando Gregem nostrum (quem semper in oculis ferimus) visitare non valebimus, per Vicarium generalem vel alios probatos viros, huic oneri Satisfaciemus.

Cap.3.

Et quoniam visitatio ad salutem, & non ad grauamen eorum, qui visitandi sunt, fuit instituta. Mandamus visitatoribus, & eorum Notarijs, ne visitationis causa aliquid exigant, nec pecuniam, aut munus vllum, etiam minimum, & sponte oblatum, accipiant. Conc. Trid. in d.c. 3.ver. interimq; caueant.

Cap.4.

Quemadmodum nos cum personaliter visitandi munus exercebimus modestissi-

mo

mo equitatu, & famulatu contenti erimus, sic etiam caueant visitatores à nobis electi, nè sumptibus inutilibus Clerum grauent, secumq; ducant ad summum iumenta tria, & homines quatuor.

Conc. Trid. in præall. c. 3

In victu maximam adhibeant parsimoniam, & vno tantum ferculo vtantur.

Negocium verò huiusmodi ea, qua fieri poterit, celeritate, expediant, idq; sibi præcipuè proponant visitatores, vt probatam morum disciplinam tueantur, & corruptam restituant, atq; reforment.

Laicorum Hospitia, & Conuiuia omninò vitent, aliasq; seruent instructiones à nobis tempore electionis perscribendas.

De Synodi Diæcesanæ annua celebratione.

Conc Trid. sess. 24. c. 2. de refor.

INter salutaria, & pia decreta, quæ duce spiritu sancto sacri Concilij Trid. patres

patres ediderunt, illud etiam reperitur, vt ſingulis annis Synodus Diæceſana cele bretur, hæc enim anniuerſaria ſynodi conuocatio, antiquis Sanctorum patrum inſtitutis olim introducta, modoq; in vſum reuocata, vberrimos ſemper fructus attulit. Nos igitur qui diuino munere in hac vinea colenda fuimus à Domino operarij conſtituti, oneris noſtri memores ſynodum Diæceſanam quolibet anno celebrare non omittemus, vtq; huic ſanctæ actioni forma aliqua præſcribatur, ſtatuimus in primis; vt huius Synodalis conuentus de more ineundi, anniuerſaria dies ſit feſtum Beatæ Virginis, & prothomartyris Theclæ, quod die xxiij Septembris ab Eccleſia celebratur, & hic Synodalis dies Kalendario Auximano deinceps aſcribatur.

Edicimus inſuper, vt per menſem ante conſtitutam diem Synodalis Congregationis, in omnibus Eccleſijs Parochialibus vrbanis, & Diæceſanis feria quinta cuius

libet

libet hebdomadæ missa de spiritu sancto deuotè celebretur.

In cathedrali verò, & Collegiatis etiam supplicationes cum litanijs, & alijs precibus intrà Ecclesiam habeantur.

Mandamus etiam vt hæc Synodalis actio aliquot antè diebus per parochos populo denuncietur, & vnus quisq; parochiæ suæ homines doceat, quam sanctum, & salutare sit Synodi Diæcesanæ institutum, & qua ratione singulis annis hæc actio repetatur.

Adiungat præterea paternas cohortationes, vt omnes Dominica celebrationem Synodi antecedente, pænitentes, & confitentes communionem sumant, id præcipuè precantes, vt ea, quæ ad communem salutem pertinere videbuntur, in synodo peragantur.

Pridie illius diei, quo Synodus est inchoanda, Vicarij foranei in nostro Episcopali palatio adsint summo mane, & nomina

mina Sacerdotum, & Clericorum sui Vicariatus, qui ad Synodum conuenire debent, nobis tradant.

Vbi verò Sacerdotes, & Clerici Synodi causa Auximum conuenerint, non ad Cauponas, sed ad amicos, præsertim Ecclesiasticos homines (si quos habent) diuertant.

Si quis verò amicum habeat neminem, statim ad Hospitij præfectos se conferat, qui Hospitij locum aßignabunt.

Veteri Ecclesiæ instituto Synodalis actio trium dierum spatio solet concludi, prout nos tribus seßionibus Synodum nostram Diœcesanam semper absoluere curabimus.

Officiales verò Synodales (vt omnia ordinate, prout decet) peragantur, infrascripti eligi debent.

Primo duo viri Ecclesiastici, quibus Hospitiorum cura immineat.

Alius, qui promotoris partes gerat, & à quo Cancellarius Curiæ Episcopalis rogatus

gatus cuiusq; sessionis acta publica conscribat.

Secretarius praeterea Synodalis, qui omnino sit persona Ecclesiastica, & ad ipsum spectet decreta Synodalia legere, & promulgare.

Duo item Ecclesiastici homines sunt eligendi, qui vna cum Vicario generali querelis, & excusationibus vacent.

Demum duo alij Ecclesiastici viri, qui scrutinij Synodalis curam habeant.

Cum autem in Synodo de Iudicibus, & examinatoribus Synodalibus eligendis agetur, id in suffragijs ferendis spectent omnes; vt non humanis affectibus obsequantur, sed Deo, conscientiae, & animarum saluti satisfaciant.

Synodo deniq; absoluta, & acclamationibus factis, omnes reuerenter assurgentes, osculum pacis à nobis accipiant, & sibi inuicem dent, Quodq; sancti osculi significatione ostendunt, id etiam re ipsa comprobent.

bent, vt coniunctißimis animis, concordiq; charitate, & voluntate Synodalia decreta ad Animarum salutem exequantur.

De Iudicibus Synodalibus.

IVdices Synodales, quibus appellationum causæ à Sede Apostolica erunt delegandæ, iuxtà formam Sacri Concilij Tridentini ad minus quatuor in qualibet Synodo eligantur, & illas habeant qualitates, quas Bonifatius viij. sua constitutione, quæ incipit statutum, expreßit. Couc. Trid. sess. 25. c. 10 de refor. C. statutum, de rescrip. in sesto.

Caueant verò Iudices, ne causas eis commissas in longum protrahant, cum litigantium dispendio, sed quanta poterunt maiori breuitate eas terminare studeant, litigatorum artibus, & calumnijs modis omnibus occurrentes.

De examinatoribus Synodalibus.

Cap. 1.

QVanta Ecclesiæ Dei detrimenta semper attulerit ministrorum in eam viciosa ingreßio, & mala electio, nemo est qui nesciat, cum hæc pernicies omnium maxima multas Christiani Orbis Ecclesias violauerit, & destruxerit, sancta igitur, ac saluberrima fuit Sacri Trid. Conc. dispositio, vt pro eligendis, & approbandis Ecclesiæ ministris, examinatores in Synodo Diæcesana quolibet anno eligerentur, qui succedente Ecclesiarum vacatione de vita, moribus, & doctrina promouendorum inquirerent, & periculum facerent.

Cap. 2.

Conc. Trid. sess. 24. c. 18

Examinatores igitur Synodales, ad minus sex eligantur, & si fieri poterit, quolibet

libet anno mutentur, sintq́; magistri, vel licentiati in Theologia, aut in Iure Canonico, vel saltem alij Clerici, qui ad id magis idonei videbuntur.

Habeaturq́; ratio in huiusmodi electione, etiam Regularium, & ex ordinibus mendicantium.

Cap. 3

Examinatores electi (cum onus grauissimum eis sit commissum) antequam examinandi munus exercere incipiant, in publico Synodali conuentu, si præsentes aderunt, vel postea coram nobis, aut Vicario nostro generali infrascriptum præstent Iuramentum.

Ego .N. promitto, & iuro, quacunq́; humana affectione postposita, examinãdi munus Concilij Trid. præscripto, in Synodo mihi demandatum, me fideliter, & integre executurum; sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Exa-

Cap. 4

Examinatores, cum examinandi cauſa conuenerint, inchoent examen pijs orationibus, & precibus, quæ in principio congregationum dici ſolent, propoſitoq; ſibi Dei timore, & Eccleſiarum vtilitate, memoresq; iuramenti per eos præſtiti, nullum indignum approbent, nec dignum reijciant, & ſolum Deum præ oculis habentes; tum de probando, tum de reiiciendo, mature deliberent.

Cap. 5.

Examèn nunquam inchoetur, niſi nobis præſentibus, vel noſtro vicario generali ſaltem tribus examinatoribus præſentibus iuxtà decretum Sacri Conc. Trid.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 10 de reform.

Cap. 6.

Caueant examinatores, ne ſibi inuicem examinandos commendent, & ille examinator, qui priuatim aliquem docuerit, eius examini non interſit.

Cap. 7

Si quis ad examen accesserit, Clericalem habitum, & tonsuram ordini suo congruentem nõ deferens, non examinetur.

Cap. 8.

Examinatores in quæstionibus proponendis, seueros, & vehementes se non exhibeant; ne forte illi, qui examen subeunt, animum deponant, & vacillent, sed potius benigna animi significatione promouendos interogent, & respondentes audiant.

Cap. 9.

In eorum Congregationibus silentio vtãtur, nec inter se colloquia, & confabulationes habeant, aut doctrinæ ostentandæ causa difficiles quæstiones proponant, sed ad responsiones illius, qui interrogatur attenti sint.

Cap. 10

In interogationibus faciendis examinatores se inuicem nõ impediant, nec interpellent, sed ille examinator interogare incipiat

incipiat, quem nos vel officiales noſtri examini præſentes iuſſerint, illum verò interrogantem alius non turbet, ſed vnusquisq; expectet, dum ſibi ordine, & loco ſuo interrogare contigerit.

Cap. 11

Si promouendus, rerum facilium, & minimarum notitiam ſe nō habere oſtendat, rerum difficiliorum interogationibus tempus non conteratur, ſic etiam è conuerſo, ille multis non erit detinendus, nec cum eo ſeuerius agendum, de cuius doctrina liquidó appareat.

Cap. 12.

Et quia nos de doctrina, & prudentia Examinatorum noſtrorum plurimum in Domino confidimus, nolumus eis certam interogandi formam præſcribere, & quid ab vno quoq; examinando ſit ſpetialiter inquirendum longa oratione congerere, ſed interogationes huiuſmodi eorum iuditio remittimus, qui pro qualitate personarum, & munerum

& munerum oportunè interrogabunt, hauriendo interogationes ex Constitutionibus Apostolicis, Sanctorum patrum traditionibus, præcipuè verò ex Concilio Tridentino, & cathechismo Romano.

Id tantum examinatores monemus, vt in approbatione promouendorum præsertim ad curam Animarum, non solum doctrinam, verum etiam vitam, & mores considerent. licet enim cupiamus, omnes ministros, & cooperatores nostros, scientiam habere, & conscientiam: arbitramur tamen minus periculosam esse in Sacerdotibus tolerabilem ignorantiam cum bonitate, & vita innocentia coniunctam, quam eximiam doctrinam, cum prauitate morum: ruina etenim populorum sunt Sacerdotes mali, & teste Sancto Leone in sermono de ieiunio, validiora sunt exempla, quam verba, ac plenius opere, quam ore docetur.

Cap. 13.

Examine absoluto, votis apertis, & viua voce renuncient quos idoneos iudicauerint; vt ex omnibus approbatis nos eligere poßimus, quem magis aptum ad Ecclesiæ vacantis regimen arbitrabimur.

De testibus Synodalibus.

CVm Synodi Diœcesanæ celebratio ea præsertim ratione à sanctis patribus fuerit introducta, vt Ciuitatis & Diœcesis abusibus, & corruptelis, tanquam è specula quadam circumspectis, omnibus opportune prouideatur; pia fuit, & necessaria Concilij Lateranensis institutio, vt in Synodis Diœcesanis viri aliquot ætate, & moribus graues eligantur, qui diligenter animaduertant, an aliqua in vrbe, & in Diœcesi sint, quæ corrigi, reformari

Conc. Later. sub Innoc. 3. c. Episcopus. 35. q. 6.

mari, & emendari debeant, eaq; omnia Episcopo referant, & significent.

Cap. 2.

Vt igitur Testes Synodales Vrbani, & Diacesani, tam in prasenti Synodo electi, quam in posterum eligendi, munus suum recte exequantur, statuimus in primis, vt statim post eorum electionem prastent in manibus nostris Iuramentum, iuxtà formulam infrascriptam, ex antiquo canone excerptam. C. Episcopus 35. q. 6.

Ego. N. Testis Synodalis electus promitto, spondeo, ac iuro, quod si in vrbe in Diacesi, vel regione mihi commissa, aliquid contrà Dei voluntatem factum fuisse, vel in posterum fieri, audiuero, nouero, vel quocumq; modo ad meam notitiam peruenerit, & indicatum fuerit, quod ad Synodalem causam, vel ad Ministerium Episcopi Auximani pertineat, nec timore, nec pramio, nec cognatione aliqua mouebor, quo minus prafato Episcopo, vel eius Vicario

aut alio officiali, & nũcio, cui hæc inquisitio fuerit demandata, significem, & manifestem, quotiescumq; fuero interrogatus. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Cap. 3

Testes autem Synodales inspiciant diligenter, quæ Cleri disciplina que in clericalis vitæ moribus progreßio, & quam diligens in Ecclesiasticis functionibus obeundis sollicitudo.

Inquirant etiam diligentißime, Qui Parochorum zelus in animarum salute procuranda, & adiuuanda.

Quæ in Sacramentorum administratione, & Doctrinæ Christianæ declaratione diligentia, Quæ deniq; in omnibus Parochialis officij partibus vigilantia, & aßiduitas.

Deinde inuestigent Quæ Populi exercitatio in Christianæ Charitatis operibus, Quæ morum corruptelæ, quæ vitia præcipuè vigeant, quam religiosus festorum dierum

rum

rum cultus, quam pia in Ecclesijs conuersatio, & de omni eiusdem populi disciplina: de Aleatoribus, Blasphemis, Concubinarijs, Virginum corruptoribus, Sortilegis, alijsq́ publicis peccatoribus, de libris prohibitis, de Hæreticis, ac in fide suspectis.

An in populo adsint excommunicati, vel excommunicationis contemptores. An seruentur ieiunia, vigiliæ, aliaq́ præcepta Ecclesiastica.

Postremo videant qui Ecclesiarum, præsertim Parochialium status, an aliquam instaurationem desiderent, an debito cultu fraudentur, An sacris vestibus, & ornamentis ad cultum diuinum necessarijs instructæ sint.

Et omnia quæ reformatione, & correctione digna inuenerint, nobis referant.

DE

De Pœnis.

Cap. 1.

IN vinea Domini cultores positi, & custodes extirpandis vitiorum spinis, & peccatorum tribulis totis affectibus, ac perenni vigilantia intendimus. Vt igitur subditos nostros, quos diuinus amor à peccatis non reuocat, saltem pœna cohibeat, in his constitutionibus Syncdalibus Ecclesiasticas censuras, & pœnas pecuniarias apposuimus, non eo animo, vt soluantur, sed potius formidentur.

Pœnæ pecuniariæ omnes, tam Clericorum, Laicorum, quæ certo loco in ipsa condemnatione, vel rescripto non fuerunt applicatæ, pijs locis semper attributæ censeãtur nulla parte reseruata, vel alio vsui addicta, nec etiam Vicario nostro generali aliquam pœnarum, vel multarum portionem, sub quouis prætextu consequi liceat, & ea

tantum

tantum pars detrahatur, quæ procuratori fiscali, vt diligentius munus suum exequatur, in taxa mercedum fuit à nobis constituta.

Cap. 2.

Vtq; in pœnis huiusmodi nulla fraus committi possit; eligatur quolibet anno depositarius pœnarum de corpore capituli, qui exactionis, & applicationis earumdem curam gerat, omniaq; in certum codicem referat.

Cap. 3

Pœnis autem in nostris Synodalibus Decretis appositis illis animaduersionibus derogare non intendimus, quas veteres Canones, Conc. Tridentinum, & Synodi Auximana hactenus celebratæ eisdem delictis imposuerunt.

Cap. 4

Quibus verò Decretis nulla certa pœna expressa fuit, eam arbitrariam esse declaramus.

Ex-

Cap. 5

Excommunicationis pœnam, tanquam omnium maximam, nunquam infligi volumus, nisi expresse ità sancitum sit, malumus enim in illis, quorum nostra est animaduersio, paulo remissiores esse, quam dum legum seueritate delicta vendicare studemus, maximam animarum multitudinem æternæ damnationis periculo obijciamus.

De Constitutionibus Synodalibus.

Cap. 1.

A*Nimarum salutis paterna charitate intenti maxime nobis est inuigilandum, ne dum prodesse cupimus, peccati laqueos multiplicemus, animasq; nobis commissas irretiamus: declaramus, itàq; eos; qui contra constitutiones superius editas*

editas peccauerint panis tantum in eiſdem appoſitis obnoxios eſſe, non tamen peccato mortali, illis tamen exceptis, in quibus eſt appoſita pœna excommunicationis, vel de iure, aut ex eorum natura ſunt peccata mortalia; & niſi eas vel contemptu violauerint, vel peccandi conſuetudine irritas fecerint.

Cap. 2

Si quid in huiuſmodi noſtris decretis obortum fuerit difficultatis, declarationem, & explicationem nobis reſeruamus, ſalua ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritate.

Cap. 3

Et ne aliquis Synodalium conſtitutionum ignorantiam allegare valeat, edicimus, vt poſt duos menſes à die impreſsionis, & promulgationis earumdem conſtitutionum panis in eiſdem contentis, omnes inobedientes ſe teneri intelligant.

Cap. 4

Omnia autem, & ſingula in hac noſtra

Synodo decreta, ea, qua debemus obedientia, & reuerentia, auctoritati, iudicio, & correctioni S. R. E. omnium Ecclesiarum Matri, & magistræ supponimus.

Die Prima Octobris 1593.

Lectæ, & promulgatæ fuerunt suprascriptæ constitutiones per me Secretarium infrascriptum in publico Auximanæ Synodi conuentu in tertia, & vltima sessione, & ab omnibus per verbum placet approbatæ, prout de his omnibus Synodalibus actionibus, & electionibus instante R. D. Promotore Synodali publicum fuit confectum Instrumentum à D. Io. Antonio Grasso Curiæ Episcopalis Notario. In quorum fidem.

Liuius Vulpellus Sec. Synod.

Indictio futuræ Synodi.

AVxiliante Dei misericordia, Synodum Diæcesanam anno sequenti Die xxiij. Septembris qui est Natalis dies Beatæ Virg. & Prothomartyris Theclæ, in hac nostra Cathedrali Ecclesia celebraturi sumus, nisi litteris nostris alio tempore denunciabitur; pijs igitur vestris precibus instate, vt Ciuitas, & Diæcesis Auximana salutaribus Christianæ vitæ disciplinis, & virtutibus quotidie augeatur.

Acclamationes factæ à clero Auximano in fine Synodi

Vers. DEo Optimo maximo bonorum omnium auctori, & misericordiarum patri gratiæ.

Resp. Verè pius, verè laudabilis, verè benedicendus, glorificandus, & ado-

randus es Domine, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarũ, Synodalibus exercitationibus rectum iuſtitiæ tramitem, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformationem docere dignatus es; tibi laus, tibi honor, tibi gloria in ſæculum, & in æternum.

Verſ. *Beatiſsimo Clementi Octauo Domino noſtro, & Catholicæ Eccleſiæ Põtifici, cunctarũ gentiũ obediẽtia, & Chriſti nominis in omnẽ terrã propagatio.*

Reſp. *Domine Deus Sanctiſsimum Patrẽ, & Paſtorẽ, quẽ tu elegiſti, gratia tua cuſtodi, vt eo gubernãte, gentes, quæ te nõ nouerũt, verè fidei lumine perfuſæ in vnum Eccleſiæ tuæ ouile colligãtur.*

Verſ. *Illuſtriß. & Reuerendiß. Cardinali, & Epiſcopo noſtro ſalutaris vigilantia, & multorũ annorũ felicitas.*

Reſp. *Deus Pater luminum ſuper antiſtitem noſtrum faciem tuam illumina, & benedictionum tuarum dona perpetuò*

petuò

petuò multiplica ac diutiſsimè cõſerua

Verſ. Populo Auximano, omnibus Diœceſis noſtræ fidelibus, pax Criſti æterna & bonorum omnium abundantia.

Reſp. Memento Domine Deus in beneplacito populi tui, & confirma in ſancta perſeuerantia greſſus eius, perpetuũq; tuæ benedictionis rorem illi infunde.

Verſ. Nos Domine operarij licet indigni in meſſem tuam, à te miſsi, in omni opere bono voluntatem tuam, noſtrumq; miniſterium explentes, & Sãcta Decreta exequentes digni reddamur miſericordia, & gratia magni Sacerdotis Ieſu Chriſti, intercedente Beata eius genetrice Maria, Beata Thecla, Leopardo, atq; alijs huius Ciuitatis patronis, & omnibus Sanctis.

Reſp. Amen Amen.

Concordat cum Originali, & in fidem me ſubſcripſi.

Ego Liuius Vulpellus Sec. Syn.

D E-

Decreto del sacro Concilio di Trẽto della riforma del Matrimonio, nella sessione xiiii. al capitolo primo tradotto volgare per commodità dei Parochi.

BEnche nõ è da dubitare, che i matrimonij clandestini fatti col libero consenso de Contrahenti siano fermi, & veri Matrimonij, mentre che la Chiesa nõ gli ha fatti inualidi, & perciò si debbano dãnare come il Santo Concilio anatematiza quelli, i quali negano tali Matrimonij esser veri, & fermi, & i quali falsamente affermano i matrimonij contratti da figlioli di famiglia senz' il consenso de loro padri esser nulli, & inualidi. Non dimeno la Santa Chiesa di Dio per giustissime cause sem-

pre ha tali Matrimonij biaſimati, & prohibiti. Ma hor a vedendo il Santo Concilio, che quelle prohibitioni per l'inobedienza de gl' huomini gia non giouano, & conſiderando i graui peccati, che da i medeſimi Matrimonij clandeſtini naſcono, maſsime di coloro, i quali perſeuerano inſtato di dannatione, mentre abbandonata la prima moglie, con la quale di naſcoſto, & clandeſtinamente haueuano contratto il Matrimonio, publicamente contrahono con vn' altra, & con quella viuono in perpetuo adulterio, al qual mai non ſi puo ſoccorrere dalla Chieſa, che non giudica delle coſe occulte, ſe non vi ſi pone alcuno remedio più efficace; per queſto ſeguendo i veſtigij del Sacro Concilio Lateranenſe, celebrato ſotto Papa Innocentio iij comãda, che per l'auuenire, auanti ch' alcuno Matrimonio ſi contraha, dal proprio Sacerdote di eſsi Contrahenti tre volte in tre giorni di feſta continui nella Chieſa tra le ſolennità delle Meſſe, ſi debba publicamente

mente

mentè denunciare, tra quali persone si hà da contrahere il Matrimonio. Quali denunciationi fatte, se non vi si oppone alcuno legitimo impidimento, si proceda alla Celebratione del' Matrimonio in faccia della Chiesa, doue il Sacerdote Parochiale hauendo domandati, interrogati l'huomo, & la Donna, & inteso il loro mutuo, & libero consenso, dica Ego vos in Matrimonium coniungo, In nomine patris, & Filij, & Spiritus sancti, o uero vsi altre parole, secondo l'approbato costume, & rito di ciascuna prouintia; mà se alcuna volta sarà probabile sospitione ch' il Matrimonio possa essere malitiosamente impedito, se inanti fossero fatte tali denunciationi, all' horà ò verò si faccia vna denunciatione, ò veró almeno auanti del Sacerdote parochiale, & doi altri testimonij si celebri il Matrimonio, & dopoi, auanti la consumatione di esso, si facciano le predette denuciationi nella Chiesa, acciò, se vi sono alcuni

impedi-

impedimenti, più facilmente siano scoperti, quando però il Prelato ordinario non giudicasse essere espediente, che dette denunciationi si pretermettano, il che il Santo Concilio lassa alla prudenza, & al giuditio di esso ordinario. Quelli li quali attentaranno di contrahere matrimonio altramente ch'in presenza del Parochiano, ò d'altro Sacerdote, con licenza però di esso Parochiano, ò del prelato ordinario, & presenti doi, ò tre testimonij, il Santo Concilio gli fà totalmente inhabili à contrahere matrimonio in tal modo, & dechiara li contratti esser' irriti, & nulli. Di più commanda il Santo Concilio, che quel Parochiano, ò altro Sacerdote, che interuerrà al contratto del matrimonio con minor numero di testimonij, & similmente quelli testimonij, che v'interuerranno senza il Parochiano, ò altro Sacerdote di sua licenza, & così anco li medesimi contrahenti, siano puniti grauemente ad arbitrio del Vescouo.

In oltre il medesimo Santo Concilio essorta li sposi, ch' auanti la beneditione Sacerdotale da riceuersi nella Chiesa, non habitino insieme nella medesima Casa, & ordina che detta beneditione si debbia fare dal proprio Sacerdote Parochiano, & che da nessun' altro, eccetto da esso ó dal Vescouo, si possa concedere licenza, di fare detta beneditione, non ostante qual si voglia consuetudine, ancorche immemorabile, la qual piú tosto è da chiamarsi corruttela, ò altro priuilegio, che vi fusse, & si alcuno Sacerdote, ò altro Parochiano regolare ò seculare, ancor che pretenda questo essergli lecito, per alcun priuilegio ò consuetudine in memorabile, presumerà di congiungere in Matrimonio, ò benedir li sposi di altra parochia, senza licenza del proprio parochiano di essi sposi, ipso iure sia sospeso dall' offitio suo, sin tanto che sia assoluto dall' ordinario di quel parochiano, che doueua interuenire al Matrimonio, ò uero dare la beneditione.

neditione. Cōmanda ancora il ſacro Concilio, che ogni parcchiano habbia un' libro, nel quale ſcriua li nomi delli ſpoſi, & de Teſtimonij, che ſono interuenuti al contratto del Matrimonio, & il giorno, & il luogo di detto Matrimonio, il qual' libro diligentemente cuſtodiſca appreſſo di ſe.

Vltimamente il ſacro Concilio eſſorta li ſpoſi, che innãzi che contrahano, ò almeno tre giorni auanti la conſumatione del Matrimonio confeſſino diligentemente li loro peccati, & deuotamente vadino à riceuere il Santiſſimo Sacramento dell' Euchariſtia. Et se alcune prouincie in queſto haueranno, oltre le predette, altre laudabili vſanze, & cerimonie, eſſo ſanto Concilio grandemente deſidera, che quelle in ogni modo ſi tenghino, & ſi oſſeruino. Et ancciò che queſti precetti tanto ſalutari ſiano manifeſti à ciaſcuno, cõmanda à tutti gl'ordinarij, che quanto prima potranno habbino cura di far publicare queſto decreto al

populo, & che sia spiegato, & dechiarato in tutte le Chiese parochiali delle loro Diocesi, & questo si facci spessissime volte nel primo anno, & dopò quante volte conosceranno esser espediente. Di più vuole, che il presente Decreto cominci ad hauere il suo effetto in ciascuna parochia dopo trenta giorni, da contarsi dal giorno della prima publicatione fatta nella medesima Parochia.

Decreto del Sacro Concilio di Trento contra quelli che non pagano ouero vsurpano le Decime nella sessione xxv. Cap. xii.

NOn deuono sopportarsi coloro, li quali con varie calunnie, & arti procurano di sottrahere, ouero occupano teme-

temerariamente le Decime, che ſi deuono alle Chieſe, & le conuertano in vtil' proprio, poi che il pagamento delle decime ſi deue à Dio, & quelli che non vogliono pagarle, ouero impediſcono altri acciò non le paghino, vſurpano quello, che nõ è loro. Cõmanda adunq; il Santo Synodo à tutti, di qual ſi voglia grado, & conditione ſi ſiano, alli quali tocca di pagare le Decime, che vogliano pagarle intieramente alla Chieſa cathedrale, ouerò à altre Chieſe, & perſone, alle quali legitimamente ſi deuono; quelli poi che dette decime ſuttrahono, ouero impediſcono, ſiano eſcomunicati, ne poßino eſſer aſſoluti, ſe prima non haueranno fatta la intiera reſtitutione. eſſorta poi tutti, che per charità chriſtiana, & per debito verſo i lor' paſtori, che delli beni conceßili da Dio, non li ſia graue ſouuenirne alli Veſcoui & parochiani, che hanno le Chieſe pouere, coſi à laude di Dio, come àncor' per conſeruar' la dignità dei loro paſtori, che con continue

nue

nue vigilie procurano la ſalute delle anime loro.

Decreto del medeſimo Concilio di Trento nella ſeſsione xxi àl Capitolo xi contra gli Vſurpatori delli beni ragioni, & Giuriſditioni delle Chiese, & luoghi pii.

SE l'auaritia radice de ogni male occuparà in tanto qual ſi voglia Chierico ò laico, di qualunq; dignità ò grado ſi ſia, benche Imperiale ò regale, che per ſe, ò per interpoſite perſone, ò ſotto qual ſi voglia preteſto, ò queſito colore, hauerà ardire di vſurpare, ò conuertire in vſi propri, le giuriſditioni, beni, cenſi, & ragioni feudali, & emphiteotiche, frutti,

& emolumenti, di qual si voglia sorte, delle Chiese seculari, ò regulari, Benefitij monti della pietà, ò altri luoghi pij, ouero impedirà, che detti beni, frutti, & emolumenti per forza, ò per timore, non peruenghino à quelli, che di ragione si deuono, sia per tanto tempo sogetto alla Scomunica magiore, sin tanto che dette Giurisditioni beni, frutti; & emolumenti da lui occupati, restituirà intieramente à gli Amministratori, Rettori, ò Benefitiati delle Chiese, alle quali sono stati vsurpati, & dopoi otterrà anco la assolutione dal Pontefice Romano. & se lo vsurpatore delle cose predette hauerà il Iuspatronato in quella Chiesa, della quale hà vsurpati, & occupati li beni, oltre le pene predette, resti ancora priuato ipso facto del ius patronato.

Li Clerici poi, che saranno Autori, & Consentienti di questa nefaria vsurpatione, & fraude, siano sotto posti alle pene predette,

predette, & inoltre priuati di tutti li loro beneſitij, & reſi inhabili ad ottenerne de gli altri. Di più, dopoi che haueranno, fatta la reſtitutione, & ottenuta la aſſolutione, ſiano ancora ſoſpeſi dall' eſſecutione de gli ordini ad arbitrio del loro Ordinario.

Decreto del Sacro Concilio Lateranenſe terzo del Sacramento della Confeſsione & Communione.

C*iaſcuno fedele chriſtiano, poi che ſarà peruenuto à gli anni della diſcretione, è obligato al meno vna volta l'anno confeſſare fedelmente li ſuoi peccati, al proprio parochiano, adempire, in quanto potrà la penitentia impoſtali. Deue anco nel tempo della Paſqua pigliare*

con riuerenza il Santißimo Sacramento dell' Eucharistia, se però per consiglio del proprio Sacerdote non deuerà astenersene per qualche tempo. Altrimente chi non osseruerà questo precetto, in vita sia priuato dell'ingresso della Chiesa, & in morte della sepoltura Ecclesiastica.

Decreto Sinodale contra quelli, che non denunciano gli heretici, ò sospetti di heresia.

A*Cciòche con ogni diligentia, & vigilantia gl' heretici sospetti d'heresia, & quelli che proferiscano parole hereticali, ò vero ritengano libri d'heretici, siano denunciati, & gastigati, ordiniamo, che ogn'anno con publico editto si ammoniscano tutti li fideli della nostra Diocesi, ch' in vir-*

tù di ſanta obedientia, & ſotto pena di ſcomunica, conforme alle Conſtitutioni Apoſtoliche, debbano frà dieci giorni, dopò la publicatione dell'editto denonciare gli heretici, ò ſoſpetti d'hereſia, quelli che proferiſcano hereticali parole, ò ritengano libri proibiti, particolarmente d'hebrei, ſecondo la bolla vltimamente publicata dalla Santità di N. Sig. Clemēte ottauo, & ſe lo ſapprāno nell'auuenire, debbano ſimilmente frà detto termine di dieci giorni, da computarſi dal dì della ſcientia denunciare detti heretici, ò ſoſpetti, & dare li loro nomi, cognomi, & patrie, acciòche nel tremendo giuditio di Dio non ſiano puniti per ſilentio, ancorche non ſiano contaminati per il conſenſo.

E volemo, che queſto editto di denunciare gli heretici, almeno due volte l'anno ſia publicato dalli Parochi, frà le ſolennità della Meſſa, cioè nella prima Domenica dell'Aduento, & di Quareſima.

DE

Decreto Sinodale contra li Notarii che non denunciano li legati pii, ò altri, che impediſcano, ò diſsuadano, che non si facciano Legati pii.

I Notarij, che nell'auuenire ſi rogaranno di Teſtamenti, Donationi, Codicilli, ò Legati fatti à luoghi, ò cauſe pie, ſiano obligati frà termine d'vn meſe, da computarſi dal dì della morte del teſtatore, à denunciare detti legati, donationi, ò codicilli, à noi ò vero al noſtro Vicario Generale, ò almeno al Rettore della Chieſa, alla quale ſono ſtati fatti detti legati, ſotto pena di ſcomunica da incorrerſi ipſo facto.

Neſſuno ancora, ſotto la medeſima pena di ſcomunica, ardiſca diſſuadere, ó in qual ſi voglia modo impedire direttamente, ò indirettamente, per ſe. ò per interpoſita perſona, quelli, che vogliono fare legati, à luoghi pij.

Et queſta noſtra Conſtitutione Synodale ſia publicata dalli Parochi al Popolo, doi ò tre volte l'anno.

INDEX Titulorum.

De

&

De

ESSOR-

ESSORTATIONI
E RICORDI
PASTORALI

Per la retta osseruanza del digiuno Quadragesimale.

Antonio Maria del Titolo di S. Agnese in Agone, della Santa Rom. Chiesa Prete Card. Gallo & per gratia di Dio Vescouo d'Osimo al suo Clero, & Populo. salute nel Signore.

ESsendo piaciuto alla diuina bontà imporre alla debolezza nostra il peso dell'offitio Pastorale, si come confidamo poco nelle nostre forze; così speramo assai nella benignità di chi ci hà eletti per vno de gli operarij della sua vigna, che aiutarà l'imperfetto nostro, & ci darà lume di sodisfare in qualche parte al peso, che sostenemo, & però diffidati di noi stessi, &

V u u *con*

confidati in Dio, non restiamo di ricorrere continuamente à lui, & pregarlo, che in questi tempi di tanta miseria, non stenda la mano sua per castigarci, mà come Pastore de pastori ne conceda gratia, che superate le procelle di questo secolo, le tentationi diaboliche, & la continua guerra, che ci fa la carne, perueniamo con il Gregge à noi commesso, alla gloria del Paradiso, alla quale ci conduce vna sol via, che è l'osseruanza dei diuini commandamenti.

Et se bene fratelli, & figlioli dilettissimi nel signore in ogni tempo si deue seruire, & ringratiare Iddio, hauendo continui memoriali delle gratie, & misericordie riceuute da lui, ne ricercando altro dà noi che il nostro bene, tuttauia il sacro tempo della quadragesima, nel quale già ci trouiamo rappresentandosi in esso i più celebri, & illustri misterij della nostra Redentione, ricerca nel pastore magiore sollecitudine, & nel popolo magior' osseruanza; & per

questo

questo la Santa Chiesa, come pia madre gouernata dallo spirito di Dio, con tāte voci, di Profheti, ci chiama adesso alla penitēza, all' emendatione della vita, alla mortificatione della carne, dalla quale nasce la vita dell' anime, alle continue orationi, & altri essercitij spirituali. Et certo anime mie, se mai fù tempo di ricorrere à Dio con vera conuersione, & penitenza santa, adesso è senza dubbio, vedendosi la Chiesa in tanti pericoli, & bisogni, oppugnata dentro, & fuori da gl' inimici della Croce di Christo, Turchi, & Heretici, sentendosi da ogni parte guerre, solleuationi di Regni, pestilenze, carestie miserabilissime, & tanti altri segni manifestissimi dell' ira di Dio, & che già securis ad radicem Arboris posita est.

Muouaui acciò, oltre il debito vostro, l' essempio della Santità di N. Signore Clemente ottauo, il quale, come vigilantissimo pastore, & pieno di paterna charità,

non solo procura con forze humane resistere à gl' inimici cõmuni, mà molto più fà instanza, con la cõmune oratione de fedeli, & con le emendationi della vita, placare l'ira di Dio, acciò si degni con occhio pietoso riguardare il popolo suo, estirpare l'heresie, & toglierle forze al Turco, che non aggiunga nuoui danni à tanti, che per il passato hà fatti alla pouera Cristianità; & finalmente, che dia spirito di pace alli Prencipi Christiani, & alli peccatori spirito di resipiscentia. Eccoci amatißimi figlioli alla Quadragesima, tempo cosi celebre, & solenne; tempo come dice lo spirito santo accettabile; giorni di salute, di pace, & di riconciliatione, pregate Dio adesso, & sempre con viua fede, & con puro cuore, io v' assicurò, che sarete essauditi; considerate vi prego la infinita misericordia sua, che non solo offesa tante volte da noi, non ci punisce, & non ci annichila, conforme alli meriti nostri, mà con

patien

patienza degna di Dio ci sopporta, desidera perdonarci, ci prega, in vn certo modo, à pregarlo, à dimandarli la salute, & la conuersione nostra; così ci dice hoggi per il profeta, Conuertiteui à me, & io mi conuertirò à voi. Piacciaui dunque carissimi aprire vna volta gli occhi alla luce, che in questi giorni santi vi si offerisce, & non perseuerare più nelle tenebre, di così voluntaria ignoranza; assai hauete delirato, pur troppo hauete seguite le opere della carne, delle quali al fine non ve ne è rimaso altro, che penitenza, & erubescentia, risolueteui vna volta ad esser christiani di nome, & di effetti; Disponeteui, & preparateui à celebrare di tale maniera la memoria della passione, & resurettione di Christo, che possiate riceuere i. doni, & gratie spirituali, apparecchiate à quelli, che con il debito modo lo fanno, & participare delli frutti di questa santissima morte, & resurretione del nostro Redentore. fù il di-

giuno

giuno quadragesimale consecrato da Christo N. Signore commandato da gli Apostoli, & perpetuamente osseruato in tutta la Chiesa d'Idio, essendo come vna Decima di tutto l'anno, che con maggiore diligenza di opere sante si deue à sua diuina Maestà, onde non senza ragione ne i tempi antichi, il popolo christiano così studiosamente si preparaua alla religiosa osseruanza di questo sacro tempo, & non come si fa adesso, li precedeuano tante pazzie, tante vanità, & delitie, quante voi sapete. Conueniua ciascuno vna settimana auanti, che cominciasse la Quadragesima nelle Chiese frequentemente à confessarsi, & riceuere penitenza salutare da sacerdoti, & si communicauano poi nella Quadragesima almeno ogni Domenica.

In oltre, molti di quelli antichi christiani osseruauano questo digiuno in pane, & acqua, altri in herbe sole, & legumi, & erano alcuni, che vsauano solamente cibi

secchi

ſecchi, & queſti in poca quantità. Attendeua ciaſcuno in queſti ſanti giorni più diligentemente à corregere li ſuoi coſtumi, à deponere gli odij, & inimicitie, à reprimere la carne, & gaſticarla con cilitij, & diſcipline; à fare orationi, & elemoſine più frequenti, & abondanti, che ne gli altri giorni dell'anno. Quelli poi, che per i publici peccati loro, haueuano biſogno di più graue penitenza, nel principio di Quadrageſima veſtiti di ſacco, con li piedi nudi, & con i volti inclinati in terra, compariuano publicamente in Chieſa, preſente tutto il Clero, & popolo, auanti al Veſcouo, il quale eſſaminate le colpe loro, gli aſſegnaua publica penitenza, dopo molte orationi, & lacrime, gettandoli cenere ſopra il capo, & coprendoli di cilitio, & di più li denunciaua, che ſi come Adamo era ſtato ſcacciato dal Paradiſo, coſi eſſi erano ſcacciati per li loro peccati dalla Chieſa, & ſubito per ordine del Veſcouo ſi ſcacciauano, perſeuerando

rando così tutto il tempo della Quadragesima, sino al Giouedì santo, poi che all'hora solennemente si riconciliauano, & di nuouo s'introduceuano in Chiesa.

Questi erano gli esserciti; & l'occupationi della antica Chiesa Christiana in questi tempi dalla Settuagesima sino à Pasqua, cioè di pianti, di lagrime, di penitenza, di riconciliatione, & opere simili, in luogo delle quali tanto é preualso il Demonio in questi nostri miseri tempi, che si sono introdotte risse, inimicitie, giochi, balli, Comedie, spettacoli, conuiti, crapule, & ogni sorte di dissolutione, & offese di Dio: figlioli veramente ingrati verso la loro Madre, essa dopò la Settuagesima non hà fatto altro che piangere, per li peccati loro, essi hanno riso, & trionfato con li spettacoli, cō li quali trionfa di loro il Diauolo; la Chiesa ha atteso solecitamente à placare l'ira di Dio, & loro si sono accordati con ogni sorte di peccati à prouocarla maggiormente; la

Chiesa

Chiesa cerca con ogni studio di leuare tutte le profanità, & gentilità, & loro rinouano le vsanze de Gentili, ritrouate da Satanasso, sino dal principio del Mondo quando mascherandosi in forma di serpente ingannò i primi nostri Padri; & si come con quella maschera cagionò la caduta miserabile di tutto il genere humano, così in questi nostri tempi si sforza con la vanità, & falsità delle maschere precipitare il mondo nella medesima ruina. Noi dunq; ò dilettissimi, che caramente vi amiamo nel Signore desiderando per l'obligo dell'offitio nostro, & per il zelo, che tenemo della vostra salute, che non siate nel numero di questi, che tengano così poco conto dell'anime loro, ricomprate con il sangue di Christo, mà in questo sacro tempo, che ci rappresenta il digiuno del signore nostro, col quale s'afflisse per noi nel deserto, ciascuno procuri con magiore studio, di piacere à Idio & fare profitto nelle virtù christiane, com-

patendo alla cecità de peccatori, & pregando Iddio, che li dia ſpirito di compuntione, c'è parſo in eſſecutione del Sacro Concilio di Trento ricordare, & cõmandare le coſe in fraſcritte, per la retta, & ſanta oſſeruanza del digiuno quadrageſimale.

In prima vi eſſortiamo à non diſprezzare la penitenza, alla quale hora v'inuita Iddio, ne andarla più differendo, poi che è gran pericolo, che quelli, che abuſano la diuina miſericordia, quando poi vorranno pentirſi, non li ſia conceſſo ſpatio di penitenza.

Si prohibiſce; che neſſuno di qual ſi voglia ſtato, ordine, ò conditione ſi ſia, durante il tempo della Quadrageſima, dal giorno delle ceneri ſino à Paſqua, mangi carne di ſorte alcuna, ne meno oua, butiro, latte, formaggio, ò altri cibi di qualunque ſorte ſi ſiano vietati nel tempo Quadrageſimale, ſenza licenza noſtra in ſcriptis, ò del noſtro Vicario generale, la quale non

ſi

si concederà mai, se non per causa di graue infirmità con la fede del medico.

Ricordiamo poi à gli Infermi, che hauerranno licenza di mangiare cibi prohibiti nella Quadragesima, che l' vsino moderatamente con pietà christiana, ne mangino simili cibi in publico, & alla presenza di tutti li suoi di casa, mà in luogo retirato, & con dolore intimo prendano così fatti cibi, poi che nel tempo, che gli altri digiunano, a loro non è concesso il digiunare, & accumularsi meriti, & gratie nel conspetto d'Iddio.

Li Medici si ricordino per quel, che tocca à loro di fare fede dell' Infermità, ch'il christiano hà da tenere maggiore cura della salute dell' anima, che del corpo, però vedano bene con la loro facilità di non participare delli peccati d' altri, & in questo ne aggrauano pur assai la loro conscientia.

Ciascuno conforme all'obligo, che tiene, sotto pena di peccato mortale, digiuni in tutti li

giorni della Quadragesima, eccettuandone le Domeniche, se però alcuno per l'età non fosse immune da questo obligo.

Che non sia leccito à nessuno vendere carne, oua, ò altri cibi prohibiti nella Quadragesima senza nostra licenza, ò del nostro Vicario generale, nella Diocese del Vicario foraneo.

Che detti cibi prohibiti non si vendano à tutti indifferentemente, mà solamente à quelli, che haueranno licenza di mangiarli.

Che non si vendano, ne si tenghino publicamente per le piazze, & per le botteghe, mà si vendano con secretezza, & con la maggiore parte della bottega serrata.

Che gli Hosti, & Tauernari, & altri, che alloggino, ò danno da mangiare, non tenghino, ne vendino ne ponghino in tauola à forastieri Viandanti, ò ad altri, cibi prohibiti, se non haueranno particolare licenza in scriptis.

Che non possino detti Hosti cocere, ò accomodare

comodare in modo alcuno, cibi prohibiti, che fossero portati da altri; nemeno cotti, & preparati altroue, gli lascino mangiare nelle loro Hosterie.

Tutte le cose sopradette noi ordiniamo sotto le pene contenute nè Sacri Canoni, contra la violatione della sacra Quadragesima, & altre à nostro arbitrio riseruate, da applicarsi à luoghi pij.

Et per che figlioli dilettißimi, desideriamo, che da voi non solo si essequiscano li precetti, mà si osseruino ancora li santi consigli, & si faccino opre di supererogatione, c'è parso ricordarui, & essortarui alle cose infrascritte.

Et prima ci riuoltiamo al nostro Clero della Città, & Diocese, dal quale principalmente depende la salute del populo, & lo essortiamo nelle viscere del Signore, à corrispondere con santi costumi alla dignità, & Santità dello stato clericale.

Quelli, che hanno cura d'anime, sodisfacciano

sfacciano à l'obligo loro con charità, celebrino continuamente nelle loro chiese parochiali, & in questo tempo Quadragesimale almeno tre giorni della settimana con pie essortationi, procurino di ridurre li peccatori alla vita della salute, & dechiarino lo euangelio corrente; essortino tutti alla frequenza de Santissimi Sacramenti, à visitare le Chiese, & ascoltar' le prediche.

Non si scordino la prima Domenica di Qadragesima, & la Domenica dell' palme publicare, & dichiarare al popolo la Constitutione del Concilio Lateranense, che comincia, Omnis vtriusq; sexus, & esporre le pene, & censure, nelle quali incorrano coloro, che almeno vna volta l' anno non si confessano; & comunicano.

Essortiamo poi ciascuno, che in questo sacro tempo di Quadragesima, non cerchi delicatezza de cibi Quadragesimali, ne meno empia la tauola di viuande, mà si contenti di vna modestissima frugalità,

&

& sia refettione de poueri, l' astinenza di chi digiuna.

Fugghino tutti il vestire di seta, & pomposamēte, mà si vesta conforme, al tempo che è di penitenza, & di digiuno.

Si lascino affatto l' inimicitie, gli odij, risse, & rancori, & si habbia pace con tutti.

Ogni christiano procuri di raffrenare gli appetiti carnali, non solo con stretta astinenza, & digiuno, mà ancora con cilitij, & discipline.

In questo sacro tempo s' astenghi ciascuno dalle caccie, & dal fare conuiti, ancora nelli giorni di Domenica, si come ci ammonisce il santissimo pontefice Niccolò primo.

Raccomandiamo ancora efficacemente l'opre della misericordia, lequali ci dispongono à riceuere la misericordia di Iddio, & se bene l' elemosina, si deue fare in ogni tempo; conuiene non dimeno in questo tempo di Quadragesima di farla più largamente

mente, & dare à Dio quel, che leuiamo al ſenſo, & alla crapula, con tanta maggiore liberalità, quanto è più grande la penuria di queſt' anno, & molte ſono le perſone poſte in neceſsità, & miſeria, così ordinando la diuina prouidenza, non ſolo per flagello de peccati noſtri, mà anco per che i poueri nella patienza, & i ricchi nella miſericordia, & nell' vſo dell' elemoſine, habbino occaſione di fare acquiſto dell' anima ſua, & della diuina miſericordia.

Ciaſcuno conuerrà più ſpeſſo alla Chieſa, & ſtarà à gli officij diuini, & orationi, con ſanta meditatione.

Si cerchi per ogni modo da tutti d'aſcoltare ogni mattina la meſſa riuerentemente, & deuotamente.

Siano tutti ſolleciti alle prediche, eſſendo la parola d' Iddio tanto neceſſaria, & tanto raccomandata nella ſacra ſcrittura, che da queſto ſegno ſolamente d' aſcoltarla

volon-

volontieri si conoscano gli eletti da i reprobi, ne si tema per lasciare li negotij mondani, per vn' hora, che dura la Predica di perdere niente, anzi si guadagnarà assai, non solamente per essere il frutto spirituale, molto magiore del temporale, mà etiandio perche il Signore aiuta nelle cose temporali, quelli, che per seruitio suo si scommodano in quelle.

Et però lodiamo grandemente, che si tenghi questa buona vsanza, di non aprire le botteghe mentre si predica.

V'è anco la sacra Confeßione, che per essere di tanta importanza alla salute delle anime, & con obligo così stretto commandata dalla santa Chiesa, habbiamo riseruato à dir' per vltima cosa; acciò resti più nella memoria; desideriamo dunque, & essortiamo tutti, che si preparino à farla, & la faccino con molta consideratione, con vero pentimento dei peccati, & con risoluto proposito di mutare vita, & dopò questa

santa confessione, si disponghi ciascuno à Communicarsi per la prima Domenica di Quadragesima, acciò l'altre opere buone, che si faranno successiuamente, siano viue, & meritorie della vita eterna.

Tornate figliuoli dilettissimi al cuore, tornate in voi medesimi, & alla memoria di quei beni, del vostro celeste Padre, che così vanamente hauete dissipati, ne ci date più accasione di piangere sopra voi, ma à guisa di quel figliolo prodigo, uscite vna volta dall' infame seruitù del Demonio, delle vergognose sodisfationi de gli appetiti carnali, & dal fango dell' immonditie; ne siate più sordi alle voci d' Iddio, & della Chiesa; non vogliate vi preghiamo imitar coloro, che trascurati in quello, che douerebbono essere diligentissimi, aspettano fin' à l' vltimo giorno di Quadragesima à confessarsi, come se fosse negotio di poco momento, ne considerano mai, che cosa sia peccato, quanto dispiaccia à Dio, il gastigo, che merita

vita, & quanto bisogna fare, per riformare vn' anima peccatrice; & di qui nasce principalmente, che si vede si poca emendatione della vita, & che si torna subito à maggior' peccati che prima: poi che li medesimi Sacramenti, che sono indutti per remedio, per la mala dispositione di chi li piglia, seruono per veleno.

Non vogliate più dunque hauer parte ne gli errori del mondo, fuggite le sue false, & breui allegrezze, li corrotti costumi, le compagnie dissolute, & ogni altra vanità, & se bene ancora peregrinate in terra, fate almeno, che posiate dire con S. Pauolo.

Nostra conuersatio in Cælis est, in Cielo siano le speranze, i desiderij, i gusti, & gli affetti vostri.

Eccoui amatissimi figlioli, & fratelli quelli pochi ricordi, & pastorali ammonitioni, che habbiamo giudicato douerui si dare in questo principio di Quadra-

gesima, resta hora, che voi ne facciate frut to, & che questo Sacro seme della parola d' Iddio non sia stato sparso da noi sopra le pietre.

Abbracciate quei mezi che v' habbiamo sopra proposti, & fate continue orationi per voi, per gli prossimi, & per noi Pastor vostro particolarmente, & non dubitate, che Iddio vi essaudirà in tutto quello, che sia di gloria sua, & salute vostra, & vi darà gratia di risorger con Christo, & consumare perfettamente la vostra redentione, di che preghiamo sua diuina Maestà humilmente, & noi in suo nome vi benediciamo. Data in Osimo il dì 3 di Marzo 1593.

A. M. Card. Gallus. & Episc. Auxim.

Liuius Vulpellus Secret. de mand.

LETTERE
PASTORALI.
Sopra la translatione delle Reliquie di Santa Thecla.

Antonio Maria &c.

LA CHARITA paterna con la quale unicamente v'amiamo nel Signore ricerca, che non lasciamo à dietro occasione alcuna, nella quale possiamo con la gratia

gratia d' Iddio, accrescere, & eccitare la deuotione vostra; & hauendo noi procurato con molta diligenza hauere da Milano, doue si conserua il corpo di Santa Thecla, qualche reliquia di questa gloriosa Vergine, & Martire, sotto il cui patrocinio è fondata la nostra Chiesa Cathedrale, è piaciuto à Iddio Padre di tutte le consolationi, di consolarci, disponendo il Reuerendißimo Arciuescouo di quella Citta à mandarne due particole insigni di quel Sacro corpo, cioè vn'dente, & parte della mascella destra. Et acciò queste Sacre Reliquie, tanto desiderate da noi, come fonti indeficienti di miracoli, & di gratie, siano honorate come si conuiene, habbiamo risoluto la Domenica sequente, con religioso apparato, & solenne proceßione, transferirle dalla Chiesa di San Marco, oue si trouano adesso, alla nostra Chiesa cathedrale, & per maggior profitto spirituale habbiamo

anco

anco ottenuto dalla Santità di Nostro Signore Indulgentia Plenaria per tutti quelli, che interuerranno à detta translatione.

Vi essortiamo a dunque paternamente, & v'inuitiamo à venire con ogni deuotione, & riuerenza, & con santa preparatione à conseguire l'indulgenza, honorare queste sacre reliquie, & celebrare la loro translatione, Ricordateui ó dilettissimi, che le Reliquie de Santi auanzate per diuina dispositione alla crudeltà de Tiranni, alle fiere, alle ruote, à i fuochi, & altri tormenti sono, come dice San Basilio, Torri, Fortezze, & presidij fermissimi delle Città, & Prouintie, doue si conseruano, & se noi volessimo entrar'in questo campo à raccontare gl'aiuti spirituali, & temporali, che hanno conseguito i popoli (mercè di questi Santi presidij) saressimo troppo lunghi; basta ch'è cosa chiarissima, che le Città, & Prouintie

uintie, ſi ſono preſeruate da calamità infinite, per le cenneri, ſepolcri, & Reliquie dei Santi. L'Egitto per il ſepolcro di Hieremia profeta reſtò libero dalli ſerpenti, che l'infeſtauano. Il velo di Santa Agatha difeſe i popoli di Sicilia dall'incendio, & vltimamente à tempi noſtri, la Città di Milano fù liberata dalla peſte, per la Santiſſima Reliquia, che deuotamente conſerua, & adora del ſacro chiodo di Ieſù Chriſto: ſi che Città mia deui ancor tu ſperare, d'haur per mezzo di queſte Sante Reliquie in tutte le tribulationi, & trauagli tuoi, ſoccorſi, & aiuti marauiglioſi; & però è ben ragione, che s'honorino da noi, poiche Iddio iſteſſo in ogni tempo hà ſempre honorate le Reliquie de Santi ſuoi, & moſtrati à gloria loro miracoli ſtupendi. Rendiamo dunq; ò dilettiſſimi riuerenza, & veneratione, quanto ſi può maggiore, à queſti pretioſi pegni, che c'hà vltimamente conceſſe la diuina

uina bontà. Preparateui tutti à celebrare, & honorare la loro translatione, con purità di Conſcienza, con orationi, & digiuni: ilche douete fare tanto più prontamente, quanto c'hauete anco l'ineſtimabile acquiſto dell'Indulgenza plenaria.

Fù queſta glorioſa Vergine noſtra auocata, nobiliſsima di ſangue, Diſcepola, primogenita di S. Paolo Apoſtolo, fù Apoſtolica, & dalli Padri antichi comparata à gli Apoſtoli iſteſsi. Fù Vergine, & per eſſer ſpoſa di Chriſto, ripudiò il ſuo ſpoſo nobiliſsimo, & ricchiſsimo; Fù Martire, poiche per lo ſdegno dello ſpoſo ripudiato, fù prima condannata à douer' eſser' deuorata dalle beſtie, lequali ſcordateſi della loro naturale ferità, & veſtiteſi di quella humanità, che s'haueuano ſpogliata gli huomini, lambiuano riuerentemente li piedi virginali, & diuenute preda della lor' preda, in luogo di diuorare, adorauano, & riueriuano quella

Vergine gloriosa. fù dopoi condannata al fuoco, dal quale ancorà vscì illesa, & pa:ì altri martirij, se bene da tutti, per diuina bontà fù liberata.

Hebbe ancora questa Celebratißima donna, vn'altra prerogatiua singulare, che fù prothomartire, & prima oblatione del sesso feminile; & si come Stefano frà gli huomini, così Thecla frà le donne, fù la prima à patire per Christo, onde non è marauiglia, se come Vergine, Discepola di S. Pauolo; come Martire, & Prothomartire è stata da tutti li Padri antichi Greci, & Latini, celebrata, & essaltata con somme lodi; & il suo culto è stato sempre celeberrimo, nella Chiesa Orientale, & Occidentale; San Gregorio Nazianzano andò in Seleucia d'Isauria à visitare il Sepolcro di questa chiarißima, & Santißima Vergine, & vi stette molto tempo. Nel medesimo luogo Zenone Imperatore edificò vn'augu-

stißimo

stißimo Tempio, per esser'stato restituito à l'Imperio con l'intercessione, & meriti di Santa Thecla; & Giustiniano Imperatore con non minore spesa, & magnificentia, vi fondò vn'altra Chiesa, in honore della medesima Santa; siche doue-mo ancor'noi gloriarci, che questa Chiesa Cathedrale sia stata dedicata à S. Thecla, la quale frà la Vergini, & frale Martiri tiene il primo luogo. Rallegrateui dunq; spiritualmente amabilißimi figlioli di questo gran'dono, che Iddio v'hà fatto, eleggete per vostra auocata, & protettrice S. Thecla; disponeteui santamente ad honorare le sue Reliquie, & glorificate Iddio nei Santi suoi. Et acciò questo nostro inuito, ad opra così Santa, & meritoria si sappia da tutti.

Ordiniamo che questa lettera pastorale per doi ò tre giorni auanti la Translatione, si legga infrà Missarum sollemnia, nella Chiesa Cathedrele, il medesi-

mo faccino li Parochi nelle loro Chiese Parochiali. Preghiamo finalmente Iddio con santa vnione, ch'in quest'occasione, & sempre riconosciamo i benefitij di sua diuina Maestà, & riconoscendoli li siamo grati, & possiamo (aiutati dalla gratia sua) adempire il debito nostro, & con questo vi benediciamo, pregandoui il cumulo d'ogni felicità, & gratia celeste. Data in Osimo nel nostro Palazzo Episcopale il dì primo di Marzo. 1593.

A. M. Card. Gallus. &
Episc. Auxim.

Liuius Vulpellus Secret. de mand.

Il Fine.

REGISTRO

A* B* A B C D E F G
H I K L M N O P Q R
S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff
Gg Hh Ii KK Ll Mm
Nn Oo Pp Qq Rr Ss
Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd
Eee Fff Ggg Hhh Iii
KKK Lll Mmm Nnn
Ooo Ppp Qqq Rrr Sss
Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Omnia ſunt folia.

P R V S I AE.

Maiorum habita licentia.



Apud Petrumiacobum Petrutium. 1594.